
BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
21 F
50



Nec metas famæ nec tempora ponit



PROSPERI CAPPELLÆ AVERSANI

SOC. JES.

ODARUM

LIBRI VI.

ET

EPODON I.

Ad Illustriss. & Excellentis. Dom.

D. IVLIVM CARACCIOLVM

MARCHIONEM BARISCIANI,

&c.



NEAPOLI, MDCLXXXII.

Apud Castaldum Regium Typographum.
Superiorum auctoritate.



ILLUSTRISSIMO,

ET

EXCELLENTISSIMO DOM.

D. JULIO
CARACCIOLO

MARCHIONI BARISCIANI, &c.



Prosper Cappella Atellanus Soc. Jes.



Um primùm te noverim, cujus qui novere virtutem mirantur, Excellentissime Domine, ejurato Apolline, quo clariùs tum familiæ, tum virtutis lumi-

nibus ſplendes, meis te muſis præſidem optavi, ut quæ Phœbo impulſore ſcripſerã ſub Laurûs umbrà, umbrà tui nominis, qua nihil eſt ſplẽdidius, tuereris: in bono ſe lumine mea exiſtimabit poeſis collocari, ſi reſpexeris: cum ijs à puero ſis inſtructus diſciplinis, à quibus licèt præclariſſimo loco natus literarum lucem, & ornamenta mutuareris: his cutis per ſummam innocentiam expeditis, te juventus excepit, ut earum artium exercitationi te dares, quæ, vel belli, vel domi in ratione civili dynaſtam nobilitate ſua clariorem redderent, eo virtutum temperamento, ut tuis gratus, & amabilis, alienis facilis, utilis, acceptuſque Regi diceris: non tamen in ea dilatandi nominis felicitate auxiſti ſuperbiam in dominatu, ſed Magnus animo, major imperio tui ea modeſtia omnium utilitati ſervijſti, ut omnes non te debere Fortunæ dixerint, quod merita poſtularent. hinc cum tua ad

ma-

maturitatem ætas pervenerit, ea tibi præsto fuerunt decora, ut cum novis domum tuam cumulaveris gloriæ ornamentis, cum pulcherrima ditioni tuæ & oppida & pagos, adjeceris, cum omnes in ea provincia primas tuæ deferant authoritati, sẽper tamen in egregijs tuis moribus τὸ πρέπον enituerit; ea tamen lege, ut Pietas palmæ gloriam tulerit; in primis erga Virginis Matris cultum, cujus templa per tuæ ditionis loca vel ornare, vel reficere aggressus aris ornamenta, vel sedem, tuæ religioni colophonem addidisti: testis est nobilissima illa moles tuo adjuncta palatio, quam Virgini ab avita labe immuni posuisti, eam dum à solo excitasti, ut tantæ patrocinio Reginæ fruereris, nova tuæ magnitudinis jecisti fundamenta; nec ultimam tuæ pietatis laudem dixerim, quod Societas Iesu singularem apud te gratiã injerit: hoc heroica pectoris altitudo, quam hausisti ex majo-

rum

rum sanguine tibi persuasit, cui semper illustrium domorum nobilitas nupsit: hìc me dicendi pigmenta deficiunt, sed meas rideo exhaustas coloribus arculas, cum possim tui sanguinis splendore colorare orationem; non enim alias in tuæ arbore domùs oculis perlego heroinas, quã aut ex Galeratæ Comitibus Caracciolas, & mentiar nisi præsto sit Hippolitha purpurati patris Marini Caraccioli neptis, qui Mediolanum singulari prudentiæ, & fortitudinis glorià gubernavit, amita Marini Caraccioli Ducis Atripaldæ, Comitis Torellæ, & primi Abellinatum Principis; aut ex Arenæ Marchionibus Concublettas; aut ex Placenti Comitibus Ursinas; aut ex Comitibus Burgentiæ, & Martinæ Ducibus, ut parentem tuam; aut ex Principibus Sancti Laurentij, & Ducibus Laurini, qui ex Ostiliani Principibus originem ducunt, Carafas: ita ut transfusa in stirpem tot familiarum

de-

decora id egerint, ut tua domus se sibi parem semper præstiterit,& ostēdi gaudeat,non ornari,cum ipsa sibi sit ornamentum, & decus; in cujus Zodiaco te veluti Solem, licèt sub nube moderationis tuæ,miramur:hęc cum de tuæ domùs gloria libaverim, egi, *Ut qui terrarum Orbem unius tabulę ambitu circumscribunt aliquanto detrimento magnitudinis, nullo dispendio veritatis*. Cæterùm cum *pauciora in annalium scrinijs, quàm in vestrę domus titulis cognomenta legantur*, & cum quisquis ex ea oriatur apud omnes ipso cognominis cēsu ditissimus Fortunæ bonis existimetur,& ad altissima quæq; munia à Natura factus habeatur, quāvis desiderentur naturæ indulgētis dotes, aut Fortunæ respicientis officia desint; non tamen opus fuit ex universo familiæ fonte haurire orationem, & memorare tot supremos exercituum ductores,quibus toties inter armorum strepitum plausit Euro-

Auson.in gratiarū act. ad Gratian.

Pacat. in Paneg.

ropa, vel celebrare tot magna nomina, vel in memoriam ſaltem redigere tot prima capita, quibus præcelſa munera, & altiſſimi quique honores à Regibus delati, de quibus ſatis dicere, injuria fuerit; cum meæ orationi materiem tua virtus præſtaret, & domus tua abundè ſuppeteret; atque adeo de ea dicam quod olim de principe gemmà pronunciavit hiſtoricus, in anguſtum coacta videtur familiæ majeſtas; tum maximè ſi reſpiciã puerum illũ divinitus datũ, cui in ſua ætatula *eſt vultus, multa, & præclara minantis*, D. Agnellum inquam primam tuam virilem ſobolem, cujus vel in teneris explorata ſpes eſt, cujus indoles, dum, te monſtrante, diſcit à virtute non degenerare paternà, debitam familiæ facit ſplendoris acceſſionem: longè tamẽ clariora in te ſita ſunt honeſtamenta virtutum: quid dicã de tuis egregijs moribus, aut quid taceam, quibus quaſi gemmis non longè petitis,

Plin.

Hor.


non

non tamen vulgaribus inclytam natalium originem, chlamydem veluti regiam, ornas: Si celsi pectoris magnanimitatem celebrare aggredior, occursat menti cordis magnanimi sinceritas, si præsentem semper omnibus commendare munificentiam, præsefert generosa indolis comitas, qua prodesse omnibus, nulli obesse noveris: si prudentiæ magnitudinē palam omnibus facere meditor, animi fortitudo per vim se meæ āte alias inserit orationi; hæc est illa tui pectoris gloria, cujus hortatione nihil arduum moliris, quod non absolvas, ut temporum angustiæ, & rerum adversarum occursatio satis, superque ostenderunt: sermonis affabilitas, humanitatis decus, gratuita, & copiosa in pauperes, in nos, in ōnes muficentia nos satis monent, ut ad hoc præstandum faciliùs cum generoso sanguine ars, & indoles amicè conspirēt; quis enim in Samnio nesciat, ut in arctis provinciæ rebus, & in carita-


ritate annonæ, ad quam tuendam te stimulabat innata animo pietas, & gentilitiæ stirpis benignitas, munificentiam non amiseris, ut qui, vivente in principatu genitore, principem ex subditorum benevolentia gesserás, illo extincto, parentem in principe custodires: qua enim ingenità cælitus comitate tenuioris fortunæ, modò illos virtus commendet, hominibus faves, & recti studiosus omnium jura tueris: publicorum regiminum digna te contemptio, sed sũma Principis utilitati addictio, & in ejus obsequiũ supra vires bonorũ profusio, ut nactus locum ex ingenio ostendisti, & temporum opportunitates testantur, adulta luce sunt clariora; igitur cum in hominum benevolentià, & consensu imperiũ, cum in factis virtutem, cum geras in nomine Julij Cæsaris Majestatem,

Cassiod. lib. 8. ep. 10. *Sumpsisti nomen ex meritis, custodi, ut semper læteris veritate vocabuli.*

LI-



LIBER I.




AD EXCELLENTISS. DOMINUM
D. JULIUM CARACCIOLUM
Marchionem Bariſciani,&c.

Divina in ſylvis urbanitas

ODE I.

IN DEIPARAM.

Cui fauſtum iter precatur dum per montana inviſit Eliſabeth.




SIc nullæ tibi rupium,
Nulla obſtent nemorum, ſic tribulis frutex
Armatus propero pedi,
Quo calcanda poli ſidera, temperet:
Dum per dorſa cacuminum,
Ut præceps celeri fertur anhelitu,

Visis Cerva Leonibus,
Tu stipata tuis deliciis volas:
Judææ juga, tantæ iter
Convestite novis floribus advenæ,
Ne vestigia pulvere
Plebejo jaceant, & violis vias,
Primi veris honoribus,
Cognataque Rosæ sternite purpura;
Vestrum sternite, Lilia,
Argentum, gravibus quod geritis comis,
Vos dum candidior premet
Pes, collata simul figite basia,
Quæ cœlum invideat, labris
Vos plantas niveis lambite virgines;
Si forte urgeat igneis
Sol Divam radiis; vertice supplici
Sylvæ spargite pendulæ
Æstivas hyemes, & nimium diem
Tensis frangite brachiis,
Ne vultùs teneras inficiat nives,
A queis ipse Deus calet.
Audimur! Platanus jam venit innuba,
Et prompta obsequio Salix,
Pinusquè aeria, & nescia fulminis
Laurus, vos quoquè, Fraxini,
Et Palmæ Libani, præmia fortium,
Præter, quà graditur, viam
Sedistis foliis texere frigora.
Umbras hùc ederæ tamèn
Ingratas caveant ducere, mollibus
Quas amplexibus inquinant;
Et frondes caveat ducere Populus,
Vel connubia deserat.
Castam umbram esse decet Virginis hospitam.

At

Atvim ut colligat acrior,
  En fternens viridi membra fub Arbuto
Se dat feffa foporibus:
  Vos Auftri, Libyæ fibila, vos precor
Sylvarum, Zephyri, hofpites,
  Vos plantæ horrifonæ, & murmura fontium,
Vos Damæ, & Capreæ, precor,
  Et vos qui patriis faltibus, hinnuli,
Erranti ftrepitis pede
  Quæfitos placidi munere frigoris
Somnos rumpere parcite,
  Donec Virgo fuo pollice terferit:
Exomnis petet ut viam,
  Tùnc quo longa viæ fallere tædia
Poffit, vos iterùm, alites,
  Latè implete nemus carmine mutuo:
Arbos mota Favonio
  Tùnc vobis trepida fronde remurmuret.





Fortunatæ hoſpes inſulæ.

ODE II.

In funere P. Vincentii Carafæ Supremi Soc. Jeſu moderatoris.

AD D. HECTOREM CARAFAM nepotem, Andriæ Ducem, &c.

Patriam repræſentat ſub beatæ inſulæ allegoria.



AUctus, Tybri, meis aquas
Voluebas lacrymis, dum cubito ſuper
Longos in gemitus, latus
Suffultus cythara, carmina verteram
Acclinis capiti tuo:
Trudebat lacrymam lacryma dulcior,
Fœcundusquè mei altiùs
Juſto ferbueras, Tybri, vado, ferens
Et luctus pelago meos:
Atquè ipſa ad lacrymas dum juga montium
In-

Invitas querulo pede,
  In fletum teneræ transierant nives,
Vatis luminibus pares:
  Flerem multus adhùc; ni mihi provido
Aures pollice velleret
  Cælestis Genius, ni vidui trucem
Luctùs sisteret ambitum,
  Turgentis cohibens margine palpebræ
Pronas currere lacrymas:
  O mutetur, ait, nænia gaudio,
Fletu quem tumulas, sinu
  Fortunata suo sospitat insula:
Hìc Vincentius imperat
  De victo rediens agmine Tænari,
It telis procul hostium
  Vallatus roseo tempora lumine:
Hìc lucentia Jaspidum
  Ostendit radiis limina Civitas,
Fulvis Dædala laminis
  Cedro porta nitet, cardo adamantibus
Auratis resonat, viæ
  Splendent Chrysolithis, tecta smaragdinis
Gemmascunt laquearibus,
  Aër, dum vario lumine fluctuat,
Dulcem parturit Iridem,
  Qua præcincta dies regnat, & inscio
Indit gaudia pectori,
  Ac mentem trifido ter radio beat:
Propter mœnia labitur.
  Torrens, qui recreat gramina balsamo,
Ac ripæ tenuis memor
  Ludentes patitur Najadum pedes,
Calcari facilis; nequè
  Vernæ degenerant in fluvios nives,

Quæ de collibus exulant:
  Fragrant ambrosiis balnea roribus
Sub pomœria, splendidum
  Et congesta focum cinnama nutriunt:
Non constat patrimonio
  Vestis, quæ populo sufficeret, gravi
Non auro caput emicat,
  Et solem radio percutit æmulo,
Sat flores capiti dare, &
  Circum membra rosę nectere purpuram,
Non vultu timor excubat,
  Et flammata genis lacryma; corporis
Anni non vitiant decus,
  Non ætatis hyems fert capiti nives,
Aut de pectore detonat;
  Nec mœstis faciem nubibus inficit:
Stat sincera genis salus,
  Et neglecta sui pulchrior aspici
Natis forma nitoribus
  Spernit cinnabarim sanguinis æmulam;
Non tot legibus integras
  Corrupere genas toxica; vultibus
Hic inducit amabile
  Sol, ac aura decus: lumine frontium
Dum fit splendidior dies
  In veris gremio ridet, & impiger
Mulcet prata Favonius,
  Notus floriferæ villicus insulę:
Gemmis sparsa fragrantibus
  Arbor sideribus brachia porrigit,
Gemmas fœtibus occupans
  Mox Pomona suis, mala saporibus
Ditat: carpere si juvat,
  Distinctum variis planta coloribus

Cur-

Curvat prodiga verticem, &
  Autumnus patulum totus it in sinum
Anni delicias ferens:
  Certant Ambrosiæ poma, nec invident
Cœnantis dapibus Jovis.
  Pomis poma cadunt pulsa sequentibus,
Et semper properant nova
  Lætæ perspicuis fontibus arbores,
Quæ partûs novies alunt,
  Orbem dûm peragit Cynthius annuum;
Ferro nescia corrigi,
  Quamvis luxurient prædia frondibus,
Quamvis undet ab aureis
  Tellus sponte sua messibus, immemor
Ducentis juga vomeris:
  Si Tellus pluvio supplicat Ætheri,
Imbrem si sitiat seges,
  Tunc Cœlum liquidis stillat odoribus,
Messem suaveolentibus
  Fortunant pluviis nubila, conspici
Argentata, timet solum
  Incestare nigris astra vaporibus:
Non torvo nebulæ Ætheri,
  Armatæ horrisono fulmine militant,
Non in turbinibus Noti
  Contra Euros equitant fulmine missili,
Ast eventilat aërem
  Tranquillus placidis Vesper Etesijs;
Umbræ si placeant, pluunt
  Decussæ è Platani vertice frigora,
Latè spirat odoribus
  Arbor fœta suis, & quoties comas
Ventus dimovet arborum,
  Tota dius odor spargitur insula;

 O so-

O ſolatia civium,
O urbis facies candida! proſperi
Qui tanto recubant ſinu;
Quis mellis numeret flumina, ſacchari
Altos ſcribat & aggeres?
Quis rivos celebret nectaris? ut Roſæ
Ripam, ut lilia veſtiunt
Incorrupta gelu? frondis, ut integras
Sectantur violæ Roſas?
Si quando celebrant prandia, Liliis
Surgunt ſtrata recentibus,
Friget farta roſis culcitra mollibus,
Tellus floribus innatat;
Ut conviva ſedet, fercula porrigit,
Ac miſcet Zephyrus celer
Immortale merum; Pontificalibus
Menſis ſpargere Tulipas
Certant, atque humeris involitant aves,
Mulcent aëra cantibus,
Et pennis radios textilibus vetant;
Stat fons in medio, ſcatent
Ex quo perpetuo gaudia flumine,
Si cives avidi bibant,
Plenis tota natat riſibus Inſula.



In-

Innocentia felix

ODE III.

IN TAURUM,

Qui P. Sertorium Caputum Soc. Jesu in cornua sublatum humi illæsum reposuit: putat vates fuisse taurum Cœlestem, & alludit ad Vrbem Aquilam.

AD D. JOSEPHUM ANTONIUM CARACCIOLUM Ducem Montis Sardi.



QUò, Taure, torvo proripis impetu
Sublime pondus; parce ferociùs
Sævire cornu, parce frontis
Fulmineo fugiende telo:
Fronti nec uno sidere diviti
Et majus addis sidus, & improbà
Vel majus Europà tulisti
In caput, ò animose, pondus:

Si missus alto præsuris Æthere,
Absiste, molli grande super solo
Depone pignus, hic ad astra
Hic puer est Aquilà ferendus:
Sed ante plumæ deposita nive
Ales senectam regius exuet,
Vultuquè Sertorì probabit
Progeniem, meliore Phœbo:
Discet juventus plumea corrigi
Sertoriani sidere luminis,
Qui luce discernet magistrà,
Quæ soboles subitura Cælum:
Post hæc redibit, tollat ut inclytum
Alarum in Æthram remigio celer
Heroa, cui gaudens corusca
Sideribus sua terga subdet:
Hic ales olìm pennigerùm potens
In astra vexit debita Cæsares,
Cum Roma supremo dynastas
Concilio insereret deorum:
Tauri sit annum gloria floridum
Orbi serenà ducere semità,
Et Veris instantes benigno
Divitias aperire cornu.
I consueto lumine plenior
Te redde Cælo; sarcina nobilis,
Quam fronte portasti per auras,
Innumeris sine lite dignum
Te reddet astris: en tibi cornua
Majore crescent fulgure siderum,
Frons luce splendebit recenti,
Et capiet nova pectus astra,
Et quæque stellam fulciet ungula,
Dum cauda terno lumine longior

Mi-

Micabit ad plenum, feretque
Insolitos palear nitores:
Minor videri jàm tibi Sirius
Presso latratum gutture strangulat,
Caudaquè blanditur faventi,
Indomitos tibi subdit ungues
Arctos reviso: jàm tibi vellera
Phryxus regresso subiicit aurea,
Et ante te mox erubescet
Pegasus ingeminare gressùs;
Quin ipse cervus te stupet, is licet
Venena cornu dissipet, impiger
Jactetquè stellatum præaltæ
Frontis onus, capitisquè sylvam:
Te virulento lumine Scorpius
Longè salutans brachia contrahit,
Adepto ut insignis decore
Attonitis spatieris astris:
Te se minorem despicit Hercules,
Lymphàquè pronus supplice se Padus
Effundit in potum, & nitenti
Sparsa tibi via lacte ridet:
Immansuetus te reducem Leo
Veretur, & te Rhinoceros timet;
Hinc fortis incedat Virago,
Imbrifero metuendus ense
Illinc Orion sidera terreat,
Tu major, armis, quæ medios procùl
Lunæ repræsentant nitores,
Sidereo dominare Cœlo.

Oculorum acies Martiali acie potentior.


ODE IV.

IN B STANISLAUM KOSKAM

Cum sub Divi fide Ladislaus Princeps Poloniæ, centùm millibus Turcarum cæsis, Osman Imperatorem cum sexcentorum millium exercitu superstite è finibus regni juberet excedere.

AD F. JOSEPHUM CAPYCIUM GALEOTAM

Equitem Hierosolymitanum.



FUltus curuli sidere barbaros
Magnæ removit sede Poloniæ
Vultu Stanislaus tremendo
Lechiadum sine cæde victor;

Di-

Dixitquè fractis viribus Osmanus :
Quis iste Phœbus lumina verberat,
Et fulgur armorum retundit
Dextræ adimens fine Marte palmam!
Quæ numinum vis dura cruoribus
Absterret enses! quod mihi militat
Crudele fatum! Mars nè sævit!
Frangit equos, equitumquè vultùs
Jovisnè fulmen! Juppiter immemor
Pugnat gigantum scilicet: occidit,
Ipsi sed incussit timores
Enceladus, Tityusquè Cœlo.
Surgamus. optat bella Diespiter:
Contra sed Æthram fulminet hæc manus,
Brutis repellamus Cyclopum
Fulminibus tumidum Tonantem:
Iras, sodales, ensibus addite, &
Urgete ferro fata morantia;
Hoc ense, vel Diras lacessam;
Si nequeam satiare Martem
Latè Polonis cædibus, eruam
Mea ipse ferro viscera, splendidè
Cruentus, ut tandèm calenti
Sanguine luxuriare detur.
Hæc dux ab ira nubilus increpat
E mente motus: clamor ad Æthera,
It quantus, impactis laborat
Turbinibus removere Delon,
Cùm fi de Pontus.. mox furor incidit,
Terramquè, Cœlumquè, & trepidum mare
Miscere sub Martis ruina;
Belligero rubet igne vultus,
Et turbido nunc concolor Ætheri
Minatur astris efferus, aspicit

Nunc

Nunc lumen hostile, incruentam
Nunc aciem reprehendit ensis.
Ab ore crudi plurima depluit
Scintilla Martis, prælia naribus
Efflatque sublatis, minaci
Ex oculis micat igne fulmen,
Irasci in ensem nititur, aërem
Casso fatigat verbere, pulveri
Et stragis inscribens futuræ
Ense notas petit astra telo.
Qualis catenæ Marmaricus leo.
Et insolenti ludibrio datus
Fremitquè, parcentesquè letho
Et gladios, & amara lucis
Odit cruentus munera, dentibus
Nunc vincla mordet, nunc ferit unguibus,
Respectat obliquis, & ungues
Luminibus, populata magnis
Suspirat olim prædia stragibus,
Et poscit alto prælia pectore,
Et tentat in saxo molares,
Atquè acuit furiosus ungues,
Post hæc catenas aspicit efferus,
Et vincla totis viribus excutit,
Rugitu, & horrendo reposcit
Ire iterùm per acuta ferri.



Ex

Ex oculorum cortinis oracula.

ODE V.

IN D. FRANCISCUM XAVERIUM.

Cujus prodigiosa effigies coloribus expressa, ut fama est, non paucis visa motis pallescere oculis, quod interpretati sunt, Divum precibus instare, ut pestilentia paulò post futura averteretur.

AD D. XAVERIVM LOPEZ.



Cortina Delphis mota furentibus
Præsagientes comprimat impetùs,
Irasquè Phœbi, nec minaces
Exagitet tripodum tumultus:
Hìc Phœbus alter, qui mala pallido
Colore terret, de tabula loquax

Ta-

Tacente fortunæ remotas
Sidereo fugat ore ſtrages :
Hùc vota transfer, non dubiæ notas
Felicitatis vultus habet, prece
Laceſſe Divum, pertinaci
Fata ſupercilio moventem ;
Oraculorum prodiga providùm
Ut fulget umbra ? ut lumine præſcio
Saberus indicit futura,
Atquè oculi rotat aſtra motu!



Vita-

Vitalis lacryma.

ODE VI.

IN VITEM VESUVIANAM.

Ut relictis divitum mensis divina illacrymet cœna.

AD POMPEJUM DE UVA.



Mater oppressi lacrymosa Bacchi,
Sponsa pubentis generosa Veris,
Et soror magnæ Cereris, beati
Filia Ruris,
Vitis, infusus tibi Phœbus almam
Purpuram tingit, tibi servit ulmus
Brachiis centùm, tibi mulget uber
Provida Tellus:
Tu greges umbra tegis hospitali,
Ac ubi insultat furiosa somno,
Tu rebellantem domitas amico
Nectare curam:

Ut

Ut pruinosis oculata gemmis
Prospicis latè nemus! ut comantem
Verticem tollis! virides ut ornant
Colla Smaragdi!
Vate me, fies nemorum imperatrix,
Mox ubi Autumnus sinuosa montis
Te per aprici juga purpuratis
Vestiet uvis:
Vis tibi cœcum reserare pectus,
Tu potens mensarum aperis theatra
Mentibus, læto simul atra spargis
Corda tumultu:
Ut diem Reges hilarem lucrentur,
Si trahant aurum tenebris, ter errant,
Ni freqnens menti cyathis refundas
Gaudia plenis:
Dives hinc Hermi fluit unda, surgit
Inde Pactolus meliore rivo, ut
Fauce securà ruat evolutum
Crœsus in aurum;
Corde sed nunquam Dolor errat exul,
Fonte depulso, nisi Bacchus intret
Fronde vitali redimitus imam
Pectoris aulam.
Indicæ fertur dominator oræ
Auream Porus posuisse vitem,
Et leves vivà simulasse frondes
Luce Smaragdi,
Palmites multus docorabat auro
Botrus affuso, variumquè fulgur
Barbaræ vultum rapiebat aulæ,
Iridis instar,
Regis & visum feriebat aura
Lucis: at nunquàm penetravit arcem

Cor-

Cordis obsessam volueri timorum
 sæpe caterva:
Fregit is ferro populos, & auro,
Non tamèn curas domuit rebelles,
Dives à succo nisi temperasset
 Pocula Vitis.
Sed laborantem dape barbarorum
Divitum mensam, & breve fulgur auri
Mitte scitari, fuge liberales
 Principis utres:
Is licèt multo radiosus auro
Sepiat feras legione cænas,
Is licèt gemma bibat æstuanti
 Fulgidus ostro,
Fauce delusa trahit eliquatum
In mero lethum, riget à veneno
Gemma furtivo, bibiturque pleno
 Virus in auro:
Nosce te, Vitis pia, corporati
Numinis mensæ jaculare nectar,
Et dabis mundo, potiora Divum
 Munera succo:
Te calix poscit bibere institutus
Sanguinem veri Jovis, hùc liquoris
E sinu quicquid tibi præla fundunt
 Splendida mitte.
Quæ tua pendet generosa vite
Uva, Pompei, cyatho illa nectar
Spondet, & stirpis nimiùm vetusta in
 Arbore regnat.

Arte

Arte sed * Flavì, stomacho illa robur
Militum promittit, Ibera virtus
Undè formidanda movet per Orbem
Doctior arma

* *Flavii de Uva, qui tùm gladio, tùm calamo potens chiliarchus conscripsit de ordinando exercitu volumen.*



Or-

Orbis peregrini Sol alter

ODE VII.

IN D. FRANCISCVM XAVERIUM.

Qui Indiarum campos ad divinam Catholicorum eruditionem, vel segetibus exuit, vel ditat frugibus.


AD ALPHONSUM TERRALAVOREM

Dominum Tiberonis.



SI jubeas, Francisce, Ceres fugit exul ab agris,
Et diffracto Copia cornu,
Succeditquè solo macies, & inhospita frugum
Rubigo dominatur in aruis;
Si jubeas, mœstis redeunt sua gaudia glebis,
Rus subitas juvenescit in herbas,
Miraturquè novas, & non sua germina, messes,
Et formidant horrea fruges;

Si



Si jubeas, vocis sola spirabilis aura
  Excutis arbore veris honores,
Incusat vacuus fallacia rura Lyæus,
  Mendacem vocat Insula Bacchum:
Si jubeas, sterili redeunt sua pignora trunco,
  Et lætatur campus Jaccho;
Scilicet ut pariant fruges, volvuntur in anno
  Dianæ, Phœbiquè labores:
Tu melior: primo ditas, ut lumine campos,
  Messes concipit, & parit arvum:
O felix tellus, tanto quæ subdita Soli
  Non genitalia sidera curat.




Inermis venit, videndo vicit.

ODE VIII.

IN D. FRANCISCVM XAVERIVM.

Qui fulgurantis vultûs oppositu exercitum barbarorum vicit.


AD P. JOANNEM BAPTISTAM CAPYCIUM GALEOTAM SOC. JESU.



RETRÒ Saberi lumine barbari
Ceſſere fracti, plaudite, poſteri;
Vultuquè percuſſos tremendo
Se propriis tumulare telis
Pudor coëgit: quantus erat ducis
Stupor frementis, cùm caderent metu,
Et cladis elapſos acervo
Fulmineo metuendus ore.

Mer-

Merſaret hoſtes opprobrio? procul
Tèr ipſe ſiccam ſanguine barbarus
Momordit haſtam, ter pudendam
Funeribus reparare ſtragem,
Juravit aſtris, ter refugas retrò
Convertit atro lumine palpebras,
Vultuquè ter viſo Sabèri,
Comminuit ſua victus arma.



Be-


Bethlem Sicula

ODE IX.

IN INFANTIS DOMINI PRÆSEPE.

Ex Drepanitano lapide sculptum opere Siculo.

AD P. ANTONIUM FERRUM Soc. Jesu.



Romulidæ laudent animatas forfice sylvas,
  Et belluatas arbores,
Laudent Alcinoi pomaria splendida regis,
  Hortosquè latè pensiles;
Quò me Calliope dulci vocat ebria Phœbo,
  Narrabo vates plurimus;
Translatam vidi Drepanensi pollice Bethlam,
  Credant poetæ posteri,
Inque hyemis medio dùm formosissimus annus
  Opes odoras explicat,
Hyberno vidi nitidas à germine rupes,
  Et flore lætas non suo,

Stabat bruma virens, & fœtus meſſe December
Non invidebat Junio.
Ecquid odoratis narrem proſcenia ſylvis,
Fulvas & auro belluas?
Illac ungue feras jàm jàm raptura minores
Sævùm minabatur Lupa,
Hàc Cervi auratis fugientes cornibus undas
Diverberabant vitreas,
Mitibus audaces pendebant collibus hædi,
Et rupe gaudentes capræ:
Limpidus hos circum cryſtallo ſupplice rivus
Vocabat ad potum greges,
Luxuriabat aquis labentibus hìc Amaranthus,
Ridebat illìc Lilium;
O quàm monſtra mihi dederunt felicia ſcenam!
Anceps voluptas conſtitit,
Monſtrabant hilares artis mendacia fontes,
Quos non Apellæus liquor
Duxiſſet meliùs, circùm ſincera nitebant
Dum regna Naturæ, Polum
Vertice tangebant montes, ſimulare theatrum
Sparſis renidentes comis,
Implebantque oculos immunia vomeris arva,
Et rura falcis neſcia:
Splendida Rhegini lateant miracula ponti,
Nec blandiamur æquori,
Quòd liquidas ſaxis ſtatuens mendacibus urbes
Vincat theatra Cæſarum,
Nec cives in aquis trepidare fugàcia jactent
Palatiorum culmina,
Quæ Dea per vacuos fingit Morgàna colores,
Ut plebis errat fabula:
Ipſe ego proſpexi longinquas devius arces,
Suiſque regna turribus,

Quæ

Quæ nostro procul orbe jacent, salientia passu
Vidi fugaci flumina,
Obstupui, ternos Æthræ de limine Soles
Bethlæ exulare collibus,
Luciferà plenus lymphà crystallinus orbis
Phœbi micabat æmulus,
Rupe sub adversa vitreis splendoribus orbem
Terni lacessentes globi
Lumine cingebant Cœlum, festosque ter amplum
Montes coronabat jubar;
Siderei fugitiva Poli de limine caulam
Dùm stella monstrat gentibus,
Imperiosa Magos peregrino ducit ab Orbe,
Qui corporato Numini
Regia divitias dant munera, vivus ab ore
Ipsis ut efflabat lepos!
Quantus erat splendor! saxa ut spirantia fecit
Ferrique acumen, & ingenì!
Materies animare novos ut saxea vultùs
Discebat! ò felix manus,
Vivere qua lapidem datur, ò miracula magnæ
Donanda Cedro dexteræ!
At quæ Calliope merito te carmine tractet,
O scita tellus Trinacris,
Mollia quæ gestas illustri viscera saxo,
O mite sidus Insulæ,
Parthenope immortale tua sub imagine fulget,
Et, ipsa quod Siren stupet,
Prodigiosa micant siculis præsepia fabris,
Quos invideret Phidias:
Si dociles adeò lapides geris, Insula, qualis
Est insulanis indoles?
Tantæ si charites spirant è cautibus, insunt
Quales alumnis gratiæ?

At quis Parthenopen optato navita cursu
  Merces beatas attulit?
Dextera quæ sparsit tam prodiga deliciarum
  Telluris artes Sicanæ?
Is, grave quem splendens armat cognomine ferrum,
  Mores sed ornant aurei.



Cæ-

Cœlesti conceptus copulà

ODE X.

IN CONCHAM

Vt Marianæ coronæ pariat Margaritam.

AD P. ANTONIUM AURIAM Soc. Jesu.

Cum de Deipara immuni ab avita labe sermonem haberet.



Uxor innubis pretiosa Cæli,
 Cur lates udis, pigra concha, saxis?
 Effer è lymphis caput, ò avari
  Filia ponti:
Concha, ventosis inimica nimbis,
Non polus mugit, nequè turbulentùm
Fulgurat, terret nequè te favillis
  Horridus aër.
Te vocat Cæli nitor, & serenæ
Flagitant horæ, periere nubes,

Dextra quas latè tibi dissipavit
Aura Favonî.
Nectaris puri tibi largus Æther
Pabulum brumæ genitale mittet,
Tu simul posces sitibunda roris
Dona mariti:
Concha , Cœlesti paritura nexu
Unicè fœtum, minimùm pudicæ
Parce te fronti dare, virginalis
Stemma nitoris,
Mitte scitari laqueata gemmis
Colla nuptarum, nihil allabores,
Quò vocant aures, sibi nuptiales
Desere pompas.
Te sibi Cœli petit imperatrix,
Verticis primum decus, ò coronæ
Dos, & ò semper populis serenæ
Gloria frontis:
Luce florescat viridi Smaragdus,
Certet ac ardens adamas nitori
Siderum, dulci madidus rubescat
Igne Pyropus,
Hinc & Electri lacrymà coronæ
Rideant, illinc Ametystus ornet
Divites regum chlamydes ab ostro:
Unio gemmas
Plurimas vincit, cui Diva donat
Virgo splendorem, & pretium: refertur
Nanquè per concham genitrice fusus
Virgine partus.

Elysium Christianum,

Hoc est,

Carthusiensis vitæ Panegyris lyrica.

ODE XI.

AD PRIMATEM

Totius Ordinis Moderatorem.



ERgo ille felix, laureato Regiam
Qui furto opimus occupat?
Et ille, cujus arca gazam strangulat,
Nomen beati possidet?
Ah ille prosper, terquè, & ampliùs, suus
Qui spirat auras, ut solet
Carthusianæ rupis almus accola,
Tuti è recessu pectoris
Negotiorum spectat errantùm globos
Beatus exul urbium,
Fugitquè turbas, & loquelæ lubrica
Jactantioris crimina,
Nèc bellicosà suscitatur ungulà
Equi vocantis prælium,

Nèc, si tumet Aquilonio fastu fretum,
Boreaquè nigrescit Thetis,
Flens obstinata voce frangit sidera,
Ut bella Neptunus premat,
Nil infideles Nerei timens vices,
Quas non reponit, mercibus.
Aureis decoras larga cùm spicis comas
Æstas in arvis explicat,
Nòn frugibus, cùm fluctuant Zephyro, timet
Latrantis iram sideris,
Se plenus ipso dives, & parvo satur
Momenta ruris despicit.
Ergò aùt pudici affectiones pectoris
Suo maritat Numini,
Aùt de serenæ mentis alto culmine
Errata damnat gentium,
Amatquè sylvas, & patronis urbium
Venale linquit otium,
Aùt se cruentat scorpionibus, levì
Aùt fuste sævit mitiùs:
Idem perennis tota secli gaudia
Vi lacrymarum comparat,
Sterilesquè curas suavè crudus amputans
Beatiores educat.
Ubi fluentes luce crines, splendidà
E nube Phœbus extulit,
Ut lætus, ut vitale lumen ebibit
Securus hæres Ætheris!
At, siderum: cùm ducit agmen Hesperus,
Silentis animi musicen
Hìnc indè cogit, ut potenti debitum
Pæana Numini canat;
Ut acta in orbes impigrà curtam manu
Dapem ministravit rota,


Suùmq;

Suumque properè cœna visit hospitem,
  Deiquè convivam petit
Non erudito nobilis regum foco, aùt
  Adulterata juribus,
Sed lauta parcè, quæ nèc irritet gulas
  Fastidiosas Cæsarum :
Post hæc sopori membra succumbunt dato
  Exuscitanda tinnulo
Mòx ære, rursùs ut Deum vincant prece,
  Dùm nox canentibus favet:
Rotantur interim Orbe majores globi,
  Nubes ab alto mugiunt,
Reges cometæ arbitrio mutant suo,
  Minasquè latè jactitant,
Se regnat ipse, Fati & irridet minas,
  Et vana Sortis munera,
Domitosquè sensùs mentis inimicos suæ
  Securus infra se videt,
Gaudet libentèr montibus, quòd eminent
  Viciniores Ætheri:
At cùm tonantis nimbus armiger Poli
  Trisulca portat fulmina,
Si belluosa montium capita ferit
  Telo timendus Juppiter,
Nihil ruinarum innocens tecto timet,
  Dùm summa nutant culmina,
Sed rupium fastigia insidens premit,
  Viamque spectat fulminis
Securus iræ: pauperum sedes, tenet,
  Nunquàm tonitru concuti,
Nec fulminanti subjacere dexteræ
  Terrentis elatos Jovis;
Vel stans adorat Numinis potentiam,
  Vel multus in genua Cruci

Affigit animam: flammifer nimbus ruat,
Procurrat in terras fretum,
Subversa volvat in procellis oppida,
Orbem ruina conterat
Labens tumultu fractus insano Polus,
Non pallet ipse: præparet
Lethum corusco miles ense barbarus,
Niteat securis horridùm,
Quod ipse totis imprimit labris Cruci,
Non dulce franget osculum;
Frondosa cùm bibit aure sylvæ murmura,
Tot ipse linguas excupit,
Quòt vestiunt frondes nemora, solus choros
Ut æmuletur siderum;
At, quæ propinquà fronde lambit Æthera, ac
In astra tendit brachia,
Arbor beata dicitur: quærit Deum, &
Implorat authoris fidem;
Simul rosetis cinctus Aprilis nitet,
Patuloquè risit aëre,
Jussitquè terræ pullulare gaudia,
Tèr ipse spargit lumina
Latè per agros: en, ait, totà ferax
Tellure Numen emicat,
Qualemque scenam è flore clamanti artifex
Natura descripsit Deo!
En manè solvit germen, ut numen colat
Linguis Crocus rubentibus,
Caputquè tollit, & patenti Lilium
Labro osculatur aërem,
Blandisquè mollis Acanthus auris annuit,
Mittens odores Ætheri,
Violisquè splendescunt genæ, rorantium
Ubi salivà siderum

La.

Lavere vultùs; atquè ut è ſtellis bibant,
  Terrena ſpernunt pocula;
Eos quadrigis vexit ut fulvis diem,
  Aves ſonorùm garriunt,
Simulantq; concentum Poli, cunctæ ſuo
  Loquuntur auræ numini:
Tu nèc moveris ſegnior vel ſtipite,
  Putri lacuna pigrior,
Et caute pervicacior vel Alpium;
  Hæc eloquutus floribus,
Plorans ſerenùm multiformes arbori
  Stylo querelas imprimit,
Ut planta creſcat irrigata lacrymis,
  Queſtuſquè fiat altior:
Tu mollè rides inter Orbis lacrymas,
  Te flere cùm longùm decet.



Desertum deseritur

ODE XII.

IN D. CAPRASIUM.

Qui eremo relicta, in urbem venit, ut jactura vitæ pro Jesu laureà potiatur.

AD PP. JUNIORES SOC. JESU.



SAt umbra dulcis, sàt placuit specus,
Sàt sylva gratis conscia luctibus,
Stat surda non amare saxa,
Et vacuos populo recessùs.
Oblivioso stertat in otio,
Curetque sylvas forfice tonsiles
Cui muta subridet voluptas,
Et Platani genialis umbra;
Eheù recedant lustra, ferocibus
Premenda Pardis; horrida lacteum
Immulsit humorem Leæna,
Cui placet ingemuisse saxis,
Hunc tauriformis progenuit silex,
Dùm sic renidet rupibus immori,

Hunc

Ut ſiccet in venis cruorem,
Qui meliùs fluitaret urbe;
Non imminentis fulgur acinacis
Hoc turbat imum pectoris, eſt mihi
Lux illa vitalis, coruſcet
Ex acie licèt illa ferri:
Ibo cruentis obvius enſibus
Quocunquè Numen me rapiet, necem
Subire certus: me ſatelles
Pennigeris feriat ſagittis,
His raptus alis aſtra ſuper ferar;
Injurioſis concremet ignibus
Me tortor, his flammis comatus
Adiiciar quaſi ſidus Æthræ;
Tetros catenis addite carceres,
Arctas numellis jungite compedes,
Erectus in nervo morabor
Carnificis venientis ictum:
Tenebricoſo carcere me premat,
Sic luce toto pectore perfruar;
Sæviſque me frangat catenis,
Sic fugiam ſuper aſtra liber:
Crudis Theatrum Tigribus offerat,
Et concitatis membra Leonibus,
Curru triumphali Leones
Edomiti fera colla flectent.
Si cordis ardes intima cernere,
Tyranne, vecors lancea perforet
Hoc pectus, at profana noſtro
Relligio procul erret ore:
Cervice tortor deripiat caput,
Non mente Chriſtum, & pectore dividet;
A fronte ſi comas revellat,
Numinis eſt numerare crines.

Nup-

Nuptiæ virginales.

EPITHALAMIUM

IN D. CATHARINAM SENEN. ET DOMINUM JESUM.

A quo virginis digitus annulo induitur nuptiali.

ODE XIII.

AD D. LUCRETIAM DE CAPUA

Cum ſub pulla veſte inter domeſticos parietes virginum ſponſo ſe dicare meditaretur.



DIva, virginum patrona,
Hùc decentes flecte greſsùs,
Cincta Lilio capillum,
Ore præteri roſeta,
Ulna certet cum Liguſtro,
Dextra ſolis ludibunda Gelſiminis grandinet:

En

En volavit Axe Cœli
Jesus in sinum puellæ,
Sed pudore pectus auxit;
Quid moraris nuptiales
Excitare, Diva, plausùs?
En marito bella nymphæ dextra fulsit annulo;
Lacte purior Decembri,
Flore gratior Matino,
Quem Diana rore sparsit:
Qua pudicà & oris aurà
Liliorum labra vincit,
Quando sponsi blandientis osculatur dexteram;
Par Rosæ nitescit albæ,
Quæ videtur stella ruris,
Quam nivoso cum Ligustro
Jam pruinæ lacte pavit
Aura florum blanda nutrix
Florulentis subter Ætnæ fabulosæ collibus:
Retrò gratiæ Rachelis
Ite, Jacob his calescat,
Nè nives, Susanna, casti
Prome pectoris tepentes,
Queis senectus arsit audax,
Quæquè,cedat, Assueri vinxit Ester pectora:
Ore gratiæ pererrant,
Labra possident lepores,
Frons nitentior Sereno,
Et genæ florentiores
Hortulis feracis Hyblæ,
Et gemellos bina Soles æmulantur lumina;
Funde conchis, turba, lymphas
Quà perustus pulvis horret,
In plateis ecce pompa,
Sponsa fulget èn puellas

Luculenta præter omnes,
E fenestris discolores evibrate flosculos:
Pulchra signet Caltha nuptas,
Iris annotet senectam,
Labra virginum pudica
Flore citreo nitescant,
Sponsa Lilio notetur,
Universis more nimbi Gelsiminus incidat:
Ut volatiles capillos
Ventilare gestit aura!
Instar Hermi negligentis
Stare ripis otiosum,
Sic comarum fluxit unda,
Et decoros sæpè colli transit ultra margines:
Quicquid Indus unionum
Dives offert, aùt avaro
Gange quicquid fulva celat
Unda, fulget in capillo:
Sic lapillos claudit aurum,
Et petitis orbe toto colla gemmis fulgurant:
Hæc per artus enitescunt,
Atquè fascinant ocellos
Ebriosos luce rerum,
Quas adorat pronus Orbis;
Candicantis sed pudico
Quas reservat illa gazas in recessu pectoris?
Qui pudoris est Jaspis!
Ut spei nitet Smaragdus!
Lacrymarum quale Electrum!
Non amasse, quo fatetur,
Quiquè Amoris est Pyropus!
Quantus albet præter omnes virginalis Unio!
O, clienti, Diva, plaude,
Siderumquè duc choreas,


Vel

Vel ab astris excitetur
Nuptialis iste plausus,
Fausta lumen stella tollat,
Dignus istis ille pompis callis esset lacteus.
Cerne, noster ut puellus,
Quo sub uno clausa splendet
Ipsa siderum venustas,
Melle roscidum beato
Nectit osculum parenti!
Cerne gnati Virgo lumen ut propinat gutturi?
Suave ducit ille nectar
Ore pendulo papillis,
Dum labella dulcè rident,
Ac ocellos dùm madentes
Fluctuanti luce flectit,
Ditat omnes diffluentis lucis imber aureus:
Blandus infans ut renidet!
Ut jocatur, ut triumphat!
Ut manu gaudet tenella
Implicare colla Matris.
Flore puri creta lactis!
Ludibunda Vitis Ulmum sic revincit conjugem:
Dextra plaudit colla matris,
Tradit annulum sinistra,
Ornat ipse dona risus,
Qui reversas cæde Tigres
Molliisset; sponsa, munus
Sume munus, spōsa, Tuscas pulchra præter virgines:
Cæde festas, Diva, Pinus,
Nuptiales ure tædas,
Bis crcmetur sylva Cynthi,
Lucus ardeat tèr Oetæ,
Astra quamvis flamma lambat,
Non quit ignes virginalis æmulari pectoris;
Spon-

Sponsa torret, sponsus ardet,
Utriusque pectus Ætnæ
Vincit ignes æstuantis,
Quanta Strongyle per omnem
Flagrat annum, cedat: Eure,
Eure, surge, Caure, persla, frigerate pectora:
Parvus infans, sed gigantem
In medullis fert amorem,
Tenue pectus, ast ter amplos
Gestat ignes Vesviorum.
Surge, mater, & gelatis
Curre lymphis, sparge, mater, frange flãmas Parvuli.
Lusimus satis, superquè,
Æmulatæ veste Cycnos,
Lilia, & Rosas olenti
Ore, virgines, favete;
Innocentes Matre lusùs
Auspicante, quæ puellum lacte nutrit virgine.
Unus urat pectus ignis,
Lacrymosis ille fumi
Absquè nubibus serenus,
Ipsa quali flagrat Æthra;
Virginalis flos nitescat,
O puellæ, & cras easdem quæque speret nuptias.



LI-



LIBER II.

Colossus Rhodius.

ODE I.

AD D. FRANCISCUM CAPYCIUM GALEOTAM.

In dilectissimi parentis obitu

Regnum NeapolitanumRegētis à latere Hispaniarum Regis, Ducis S. Angeli, &c.



Qualem colossum, quà Rhodus imminet
Formosa ponto, mercibus urbium
Pressæ salutavere naves,
Ille daret sua crura puppes

Cum


Cum nare subter, dulcis ut otia
Portùs tenerent quæ vel ab Africà
Proræ, vel Europà venir nt,
Aut Asiæ, Americævè regnis;
Suspexit altis Curia palpebris
Virum Regentem Parthenopæ caput,
Qui solus infra se videbat
Quantum hominum docuere leges:
Sui fuerunt juris ab exteris
Quantùm eruditæ mercis Itonia
Minerva vexit, aut amici
Vatibus expediere portùs:
Cum cæcus atrum turbo per aërem
Sæviret, urbis perdidimus decus,
Nobis & archivi ter amplam
Vis rapuit furiosa mentem:
Quis acta promat publica? proferat
Quis jura regni? justitiæ tenor
Ne stare confusus minetur,
Aut patrias violare leges:
At, Sors, inani sævitià furis,
Cum cura Regis transtulerit togam
In terga nati, quæ suescunt
Regni iterum tolerare pondus;
Non matre vecors Pallade nascitur,
Nec Davus acri gignitur Oedipo,
Heroe sed nascetur heros,
Nec generant Leporem Leones:
Nil Galeotæ non peragent manùs,
Quas & benignis luminibus Deus
Tuetur, & sublime mittit
Ingenium per honesta rerum:
At quis Jacobum pro patriæ statu
Toto tonantem pectore scripserit,

Cum

Cum fœda flammatus vibrato
In ſcelera eloquio ruebat?
A bracteato quis ſapientiùs
Secrevit altos obſequio dolos?
Prudentiores quis querelis
Nobilium reſeravit aures?
A regiarum quiſvè tenaciùs
Togam decoro pulvere ſordidam
Ubiquè curarum gerebat,
Queis pavido fluitabat æſtu?
Solùm Regentis nomen in inſulas
Erat ſat ipſos pellere Spartacos,
Quòt damna, quòt turbas ſagaci
Fortis ab ingenio repreſſit!
Quis Regis æquè vel patrimonium
Defendit acri juſtitia, aut opes,
Et Civitatis jura promptis
Conſilii ſtabilivit armis?
Conemur ergo ponere nomini
Tanto coloſſum, ſivè palatium
Quà ſpectat urbem, aut quà ſupremus
Pauſilypus dominatur undis:
Quid Galeotæ reddere partibus
Tu debeas, ò Parthenope, tuo
Servata Regi, teſtis ambit
Qui patriæ populus parentem:
Qui candor illi ſplendidus eloquì,
Quæ clara Suadæ vis inerat labris!
Regale quod Subter ſerenà
Fronte ſupercilium micabat!
Proh quantus altis fulgor ab artibus,
Quantoquè virtus rara choragio
Stipavit herois potentem
Fata virùm reparare mentem!

Quæ

Quæ cura justi cor tenuit? fides
Quàm certa rebus sub trepidis stetit?
Lucebat ut Dei per omnem
Relligio Tiberina cultum!
Nunc ille pennas spiritibus datas
Exercet ævi perpetis incola,
Et tutus inconcussa lucis
Munera participare gaudet;
Excelsus olim consilio, & manu,
Fractis in ipsa criminibus fuit
Tellure magnus, nùnc supernæ
Non tenuis nitet hospes arcis;
Nunc ille Cœli è culmine fulgidus
Humana ridet nubila mentium,
Curruquè prævectus decoro
Sideribus, sua fata calcat.



Inimicum Lunæ Sidus.

ODE II.

IN ALEXANDRVM VII.PONT.OP.MAX.

Sub gentilitii ſideris allegoria.

Cum ab ipſo pecuniæ Romano ſufficerentur imperio, quibus incitatus Cæſaris exercitus de Turca victoriam reportavit.

Ad Purpuratum Nepotem
FLAVIUM GHISIUM.



Quo, Roma, Ponti margine Ghiſium
Sidus benigno naſcitur omine!
Ut fulget immortalè ſtellas
Lumine præteriens avito!
Qualis minorum ſplendidus ignium
Formoſa ducit Phoſphorus agmina:
Connivet ut terris amicum!
Utquè hyemes, refugaſquè latè

Gra-

Grato tenebras lumine percutit!
Ah fallor: alto non salit æquore
Hæc stella, nec suevit comantem
Oceano tumulare lucem,
Totique mergi nescia fluctibus
Affulget Orbi: nàm jubaris tenax
Affingit Arcton, quæ renidet
Ungue, fretis metuente spargi;
Terræ nec hujus gratia sideris
Injurioso tingitur halitu;
Nec lumen intactum profanat
Accumulata vapore nubes:
At illius de vertice luminis
Comit modestis se radiis Pudor,
Et splendidi crevere Mores,
Et nitido micat ore Virtus:
Illo nitescunt lumine litteræ,
Quas nostra gignunt sæcula, sæcula
Quæ Ghisio conflantur auro in
Rastra avido redeunte ferro:
Hac Iris aurà lucis Iberiam
Junxit futuri provida Galliæ,
Minatur hinc armata Bessum
Relligio mutilare Martem.
Hac luce victix, his radiis ferox
Pellet cometam ex aëre Thracium:
Ne tentet audax luctuosà
Luce poli violare risum:
Hoc & secundo sidere puppibus
Pontum, sodales, verrite, barbaras
Terrasquè, portùsquè, & ruentes
In gladium sociate reges:
Huic monstra cedant, hoc mare Balticum,
Altumquè Tigrim lumine navigent

Qui-

Quicunquè divinis calescunt
Moribus irradiare terras:
Ægyptio quà numine pullulat
Superba tellus, quà tremulum Pharos
Turrita prospectat profundum,
Niliaci Cynosura regni;
Quà concolorem reddere vultibus
Fidem fatetur Maurus, & Æthiops;
Quà torret undantes arenas
Sol nimius, Libyæ tyrannus:
Quà cum moratur prælia Bulgarus
Equæ feroci pendet ab ubere,
Cum lacte mixturus cruorem,
Arma simùl caluere bello:
Quà regna Chani spiritus excutit,
Spiratquè Martem Tartarus, & nives
Dissolvit hostili cruore, ut
Sternat iter per acuta pugnæ:
Ut regna crescunt sidereæ novo
Sub imbre lucis! pronus ut accipit
Diem Orbis! ut spirat serenùm
Ghisiaco redimitus astro!
Te tè, Mametes luridus, aspicit
Caliginoso lumine: quot tibi
Hæc stella portendit procellas,
Quantam Erebo canit ore stragem;
Quantam Gelono non hilari face
Cladem auspicatur pronuba funerum:
Dum bella, cædesquè, & timores
Austriades vibrat ense Mavors:
Vides ut atro lumine palpitat,
Mœretque fractis Cynthia cornibus!
Ut torva permutat fugaces
Sæpe suos nimis ipsa vultûs!

Agnosco monstrum : sollicitæ patent
Lunæ timores: sanguine fluctuat
Fumante Transylvana tellus,
Austriadum ut micuere dextræ:
Hìc clara spirant vulnera, & aureis
Horrent recisæ cum capulis manus:
Et membra, deformesquè truncos
Jam phalaris viduatus urget
Equus: jacentis dùm domini sagum
Cognoscit acri nare, nèc accipit
Ab hoste sessorem: hìc Geloni
Fixa oculo ducis hasta fervet,
Magnisquè jactus vulneribus cruor
De more pleni gurgitis exilit;
Qualisquè, discordante Cœlò,
Æthereis volat officinis
Fulmen fragores arcibus afferens,
Et dura gaudens frangere marmora,
Igni dearmatum trisulco
Sponte suis perit in ruinis.
Cadens Molimus Teutonis à manu
Palmà cruorem spargit in Æthera,
Objurgat & Cœlum, & minatur
Ense novas iterare strages:
Pudore mersus, consilii minor,
Terramquè, Cœlumquè horridus increpat
Mustaphus, & sparsas retentat
Relliquias reparare belli,
Spectat, Dianæ fragmina sericæ,
Insigne gentis nobile Thraciæ,
Impunè differri per auras,
Ac viduis volitare campis:
Non indecoro vulnere saucius
Ametus ardet damna reponere,

Dùm

Dùm (sæva post pugnam voluptas)
Pulvere quo jaceat Selassus,
Et quo Selim us, quæritur: excitat
Exangue bellum buccina pertinax;
Horrent feroces dùm cruentis
Cum galeis, clypeisque vultùs.
Sic est. refulget frangere Ponticam
Hæc stella Lunam, nubiferas micat
Clarare terras, & timendis
Nectere fœderibus monarchas.




Marmorum, & hominum geminus pulvis.

ODE III.

AD D. JULIUM CAPYCIUM GALEOTAM

In funere cariſſimi genitoris, Ducis S. Angeli, &c.

Cum Regum Neapolitanorum Villam nuncupatam Podium Regale penè dirutam viſeret.



SIc eſt, Juli, degenerant ſuis
Cum ſæculis, & deliciç: en jacet
Villæ erubeſcendum cadaver
Regibus, hìc ſatiavit Aulæ
Ventrem Voluptas, hæc Genius loca
Regnavit, hìc damnoſa Cupidinis
Venus tèr exhauſit ſcatentem
Innumeris pharetram ſagittis:

Hoc


Hoc illa templum nobilius Papho,
Hæc arva junctis visit oloribus,
Immisit hàc illàc amores
Sub puero duce fraudulento:
Hìc incalebat terra tapetibus
Conchyliatis: sponda cubilium
Textu Damasceno nitebat,
Et paries radiabat auro:
Micabat aër de laquearibus
Illuminatus; magnificum Gula
Tribunal hìc erexit, ipsi
Hìc epulæ meruere, toto
Ab amne missi Phasidos alites,
Dijudicavit, misit & exules
E fauce qui vulgò placerent
Nobilium stomacho sapores:
Hìc ut moverent illecebræ gulam,
Corrupta multo fercula saccharo,
Hìc cruda Vestinis peremptos
Ingluvies populavit apros:
Alunt inemptæ nùnc populos dapes,
Quas explicant in cespite pauperes,
Suosquè paupertas clientes
Fortuitis saturare gaudet;
Ubique regnat Mœstitia, & Pavor,
Qui spirat umbris, & Taciturnitas
Vocavit è sylvis cicadas
Regificas strepere inter ædes:
Sic fata versant intolerabili
Humana motu. At me movet altera
Regalis evastata sedes
Morte brevi, Galeota fato
Dùm cedit ingens: mens erat illius
Virile Regis delicium, sui

Ardebat ut zelus tuendi
Principis imperium! quot urbes
Suo vigebant nixæ humero, gemunt
Nùnc derelictæ præsidio, fremunt
Frustrà sed omnes, dùm reposcunt
Quem rapuit Libitina Regi;
Se regna totis viribus elevent,
Dic quando Rex illi inveniet parem,
Qui bella trans Alpes verendo
Vel poterat removere vultu;
Ni Phœbus erret, perdidimus gravi
Hac morte regni dimidium, duces
Tèr mille si bello perirent,
Astra, minus raperetis Orbi:
Messes ferentis nèc minus ardua
Curare pacis munera sedulus,
Regnoquè prudens imminentes
Sistere consilio ruinas.
Mortalis eheù cur obitum querar,
Substructionum totquè cadavera,
Disiecta quæ mœrent per agros
Prætercam tacitus! per Orbem
Sublimiorum suspice turrium
Casùs frequentes! per lapides jacet
Dispersa Pompejana moles,
Quam profugo pede calcat hospes;
Vix orba fastu nomina continet
Neronianum: sentibus obsitum,
Suisquè demersum vetustis
Ruderibus cubat Herculanum:
Amœna Tempe quid nisi floridum
Nomen? sed horror vepribus incubat
Telluris in fruges benignæ,
Quæ gemit opprobrio sepulta

Obli-

Oblivionis, nec nitet arborum
Cultu frequenti, nec segetum viget
Luxu, sed imputata squalet
Vinea, quin per operta lappis
Impunè currunt prædia palmites,
Et barbarorum colluvie putret
Ager beatus, dùm propinqua
Vertit & in lacrymas fluenta,
Emancipatis perpetuæ ferant
Ut signa terris tristitiæ: ruunt
Ergo vel altùm sumptuosæ
Deliciæ, quibus aula splendet,
Quibus laborant regna, pecuniis
Gravantquè scitas artificum manùs,
Humoquè nil prodest in Orbis
Quòd fuerit studiosa fastum;
Et ipsa tellus luxuriantibus
Quæ læta pomis ubera præbuit
Parens, fit in fruges noverca,
Nec gremio fovet alma messes;
Quòd si senescant rura fugacibus
Distincta pomis, nec juvat arbores
Vel fibra, nil mirum, caduco
Si folio speciosa fulgent,
Dum saxa, cautes, marmora Tempori
Cedunt edaci, dente quod atterit
Moles, & ipsarum ruinæ
Edomitis periere saxis:
Inquirat hospes quà Babylonicæ
Turri revulsus præcipitet lapis
Typhone sublatus? superbum
Cum tetigit prope culmen astra,
Postquàm timores intulit Ætheri,
In Orbe sedem non tenet; urbibus

Infensa destruxit Vetustas
Annibalis metuenda dextræ
Sirenis olim mœnia: quà viret
Felix feraces in segetes humus,
Campana prælargo ruinarum
In cinere amphytheatra lugent;
Contaminatus flet Parius lapis
Priscos nitores, marmora culmine
Disiecta putrescunt, politis
Quæ paria emicuere gemmis,



Al-

Alpes Ghisiæ.

ODE III.

DE ALEXANDRO VII. PONT. OP. MAX.

Sub allegoria Montis, qui in gentilitio ipsius emblemate surgit.

Ad Purpuratum Nepotem
FLAVIUM GHISIUM.



O Mons, fortior Alpibus,
  O pulcher Latij murus, & Italis
Longè tutior arcibus,
  Non Atlante minor, tangere gestiens
Conniventia sidera
  Latè Cælifero vertice, quæ tibi
Mox coment radiis caput,
  Ut montis superas culmen Olympici!
Nam mortalia prospicis
  Innubi lepidus fronte, supercilì
Dulci ut pondere territas
  Terrarum latebras! fulmina mugiunt

Infra, folliciti latus
  Nèc Brontis ftrepitu palpitat horridùm,
Audent fœda vaporibus
  Nec velare tibi nubila verticem;
Tellus floreat Itala,
  Nec curet Gotici florida ferream
Martis diluviem, aut Getæ
  Armatas hyemes, Suecus agat procul,
Armorumquè fonantium
  Tempeftatem aliò Vandalus inferat;
Hic mons dùm Latium tegit,
  Defenditq; fuis tutiùs Alpibus,
Non Marti dabitur via,
  Non liber fceleri tranfitus, Italis
Non præceps Aquilo feret
  Multo fœta viro nubila mœnibus;
Torrens fervidus hoftium
  Non fternet rapidis regna furoribus,
Secum delicias ferens,
  Et gazas populorum, & decora urbium,
Regnorum & patrimonia
  Latè diripiens, non fine civium
Clamore attonito; Scythæ
  Frangant turrigeris æquora puppibus
Quà fervit Tiberi Thetis,
  Vel quà grande fonat fluctibus Antium,
Sirenifquè finum premat
  Pinus Sarmatici filia Carpati,
Tyrrhenum in mare barbara
  Defcendat Rhodope, verberet æquora
Remorum fylvis, nova
  Confumant celeres vela Favonios;
Hic mons dum fuus Itala
  Profpectat domino littora vertice,

Non

Non Romæ Latium timet,
Hic mons piniferis æquora navibus,
Ac ſternet mare cladibus,
Et contuſa ſui fulgure ſideris
Lunæ cornua proteret:
Ne Tellus ſuperis invida deſtinet
Rhoeto Brachia Deliæ,
Armatum Encelado Palladis oſculum,
Ne conjux cupiat Gyges
Junonis teneros oris anhelitùs,
Quamvis Centimanus petat
Amplexus Cereris, fulmineus valet
Plus noſtri digitus Jovis:
Extorquere priùs cogitet Herculi
Clavam, ſpicula Cynthio,
Marti tela gigas fortia, patrio
Quàm Cælo rapiat deas:
Vindex tangit honos numina: Vesbicus
Phœbææ radio comæ
Illuſtrare ſibi ſperet adulteras,
Cælo teſte, genas? ferat
Hoc Latona nefas? inſerere aut caput
Atlas ambiat Ætheri?
Aſtris progenies debita ſcilicèt:
Tellus terrificet polum
Stirpis longimanæ credula viribus,
Hoſtes quòt dabit Ætheri,
Tot reddent ſuperi funera: bis Jovem
Nemo provocat; invidas
Titanum furias ſidera negligunt;
Hic mons omnibus unicum
Præſtabit tumulum: i, fide gigantibus.

Visus nunquam impunè
Cometa


ODE V.

IN DEIPARAM.

Vt tueatur Parthenopen, cui clades Vesuvii, plebis tumultus, pestilentia, & Iacobi Galeotæ patriæ patris funus in memoriam revocantur, ut se cælitus admonitam sentiat.

AD D. ALOYSIUM
CAPYCIUM GALEOTAM

In magni genitoris è vivis excessu.



O Quæ sollicito numine temperas,
Cui cordi est pietas, Virgo, Neapolim,
Cœli fulmina sistas,
Orbis crimina deleas;

Eheû

Eheù quòt fcelerum plus nimio memor
Cælum eft, tòt repetit turbinibus caput,
Et dormimus ad ictûs,
Nec brutum excutimus fcelus:
Quantus detonuit fulmine Vefujus,
Cum Cæli monitor crimina fervidus
Deterreret, & aftris
Fumi nubila mitteret,
Terras igne truci dirueret, quafi
Terrarum fubitis motibus excitus
Exhalaret in Orbem
Totos faucibus Inferos:
Laxavit fcatebras inde bituminum,
Quæ fub perpetuis folverat ignibus,
Cautes, marmora, ferrum
Evibravit in Æthera;
Felix, exitio qui rapuit caput,
Cui non fumiferis montis hiatibus
Fatalis fuit aura,
Quæ vitalis erat, nigro
Dum furtim trahitur fordida pulvere,
Vertitquè in cinerem corpora debitum
Multo non fine fletu;
Sed majore malis metu.
Quæ non erubuit villa cruoribus
Duræ plebis? ubi triftia grandium
Non veftigia cladum
Impreffit furor improbus?
Tectorum excidio merfa Neapolis
Vulgi fumat adhùc feditionibus,
Ac auctus populari
Pontus fanguine fluctuat;
Horret plùs rutila ftrage Potentium,
Quàm cæfi pecoris fanguine ferveat

Ur-

Urbis non ſine luctu
Amplum Parthenopæ forum ;
Hìc plebs mentem hominis vendidit,aſperam
Horrendiſquè feram moribus induit,
Mercatu at cicur exit,
Frœnum dum patitur famis:
Quod non fatifero Peſtis anhelitu
Eſt molita nefas? terra cadaveri
Multo cum foret impos,
Plebes per mare diſtulit
Fœdam paſſa luem corpora: ſic novum
Tutis naufragium fluctibus addidit,
Noſtrà & pleniùs arſit
Crateris mare lacrymà:
An edocta malis Parthenope, recens
Funus bina ſuper funera quæ tulit?
Multà fœmineum cor
Turget peſte libidinum:
Majus Veſuvij gurgite flammeum
Pectus ſarcophagis ardet amoribus,
Et præcordia vincit,
Cum vix bella movet Venus:
Quæ non contudimus fulmina vertice
Plagis deteriores? utinàm luem
Numen vertat in Afros,
Urbem civibus impleat:
Qui funus Galeotæ ſequitur dolor?
Quo regale caret præſidio latus?
Heù nunquàm ſatis illum
Patrem patria luxerit:
Urbi quis poterit reddere dexteram,
Nullis quæ valuit fiſa cohortibus
Emergentia regni
Retro fata repellere?

Quòt servant schedulas scrinia supplices,
Expectare diù dùm proceres piget?
Frustrà mens ea, novit
Quæ subscribere, poscitur:
Sensit damna quoque & Roma, Quiritium
Dum responsa negat Regia litibus,
Serò & quæritur illa,
Quæ regnum tenuit, manus:
Nèc vos, astra, bonis invida, noxiis
Divexare pudet regna vaporibus,
Telluri quasi desint
In tòt toxica principes,
Funesto subiti turbinis impetu
Cum regni columen mors cita proruat,
Dùm fit, dura cometæ
Primi vulnera sensimus,



Mons

Mons Ghiſius

Qui eſt
IN ALEXANDRI VII.
Stemmate.
PONTIFICIS OPT. MAX..
allegoria.

ODE VI.

Ad Purpuratum Nepotem
FLAVIUM GHISIUM



RAdicem poſuere Alpes, vocalia doctus
  Parnaſſus antra contulit,
Antra decora ederis, & amanti tempora Lauro,
  Permeſſus amnes addidit,
E quibus indociles arcano gutture vates
  Dios furores ebibunt,
Cæliferoſq; humeros, & tergum accõmodat Atlas,
  Quo fertur Æthræ machina,
Machina par humeris, & tergi immobile pondus,
  Majore quod ferri nequit,

Læ-

Læta ſupercilij gravitas donatur Olympo,
Et frons ſerena conſpici,
Apponit fronti viridaria fœta Liguſtro
Illuſtris Hybla floribus,
Dat celſum Libanus collum, æternaque miniſtrat
Cedro comatum verticem,
Materiem, ſacros poſſit qua ſculpere faſtûs
Manus Latini Mentoris,
Ætna ſuo præſtat metuendum fulmine vultum,
Cum rege quo regnum ferit,
Ultrices Aquilas ſuperaddit Caucaſus, Orbis
Quæ nigra plectunt crimina;
Sed dextro è latere illimi pede deſilit amnis,
Extincta quo virtus redit,
Lævum inſtar Zonæ argenteà præcingitur undà,
Qua dedecus merſum perit;
Fons ſalit è medio, meritum quo tingitur oſtrum:
Sic mons vireſcit Ghiſius.



Aquilæ in natos experimentum.

ODE XII.

AD P. OCTAVIUM CARACCIOLUM Soc. Jesu.

Cum decimum jam annum in Nobilium Collegio Rector juventutem Neapolitanam religione, & bonis artibus institueret.




QUalis, ubi teneris cessant pubescere plumis,
 Immiti Jovis armiger ungui
Solibus exponit natos, nidiquè tenaces
 Adverso committere Phœbo
Gaudet, & imbelles radiorum ferre phalangem
 Hortatur plaudentibus alis:
Illi acie ancipites mordacis gaudia lucis
 Ante timent, mox lumine visùs
Infuso satiant, & certa è stirpe probantur,
 Connivent, cum Sole jocantur,

Nil

Nil metuente oculo: Sic, ò dulcissime, ducis
Patritiam prope sidera pubem,
Ut Solis propiùs divini cernere fulgur
Assuescant, & supplice vultu
Invidiam pariant astris, dum sidera nasci
Mirantur Sirenis ab unda,
Quæ fulgent majore coma, cumque astra fatigant,
Atque onerant altaria votis,
Tu castigatos convertis ad Æthera vultùs,
Qui cognato sidere certant,
Ardentes lenis animos, & voce magistra
Parthenopæus fingitur heros,
Corda pati æthereas cogis juvenilia leges,
Ne vitijs data præda senescant:
Degener expellit refugo qui pectore numen,
Sive doli declinat in artes,
Igneus hunc frontis, vel amico fulmine torres,
Eloquij vel flumine terres,
Æternæ objectum lucis qui captat, aviti
Hic decoris cognoscitur hæres,
Nutritur patriæ, ut dociles regat urbis habenas,
Aut galeà deterreat hostes;
Quàm benè parvus eques fictà proludit arenà,
Et ferri meditatur in arces,
Seu gladium in speciem simulato Marte coruscat,
Ac irasci discit in hostes,
Seù juvat in clypeis abiegnas scandere turres,
Innocuas aut mittere flammas,
Sive retorquendis alternùm luditur hastis,
Corda rapit galeata voluptas,
Et spectatrices fausta cum voce coronæ
Contendunt attollere plausùs:
Assultu seù vincit equum qui prostat in aula,
Et manibus se vertit in orbem;

seù

Seù pede Canarias gaudet mutare choreas,
Tripudium seù ducere Maurum,
Advena qui spectat teretis stupet indolis ausum,
Quæquè viro majora minatur:
Quid commissa valet tantis penetralibus ætas;
Invictis Antonius armis
Testis erit Carafà, ferùm qui casside splendet,
Hungariæ dùm fulminat urbes,
Culmina qui repetant jubet ut montana rebelles
Non certa sine strage phalanges,
Principis indoctus placidi juga ferre, minaces
Corde ferox premit Hungarus iras,
Dum noster gravibus sudans chiliarchus in armis
Danubii metuendus ad undam
Emicat, Hungarico Germania sanguine magnum
Ductorem sibi provida lactat,
Qui procul à Buda festinet Thracas, & ultra
Strigonji propellere fines,
Jam video media sub bruma fluminis altas
Lætitià florescere ripas,
Incipiunt hilares motare cacumina Quercùs,
Et cupiunt descendere in undas,
Ut valeat cursu fluvius glomerare secundo
Et victum, & stipendia turmis:
Si placet illustrem virtutis quærere fontem,
Pace tua, Germània, dicam,
Semina militiæ nostro Sirenula Marti
Fausta suos dedit inter alumnos.




Chi-

Ghisium Sidus

ODE VIII.

AD ALEXANDRUM VII. PONT. OPT. MAX.

Sub Stellæ allegoria, quæ in Ghisiæ gentis stemmate fulget.



STella, quæ regum regis una leges,
Quæ tibi pronum moderaris Orbem,
Fida Romani Cynosura Cæli,
Arbitra Mundi,
Dulce per magnas jace lumen urbes,
Ut tuo lætæ niteant sereno,
Pande Germanis oculos sub atra
Nube latentes:
Mitè connives? age fulgur illò,
Mens ubi turbat sine lege, nigro
Concolor Cælo, populos, & afflat
Hæresis, Hydra
Illa, quæ claras inimicat urbes;
Hydra, quæ multi capitis tremenda

Syl-

Sylva, fœcundumquè malum, veneno
Inficit Orbem:
I, tuæ quò te feret aura lucis,
I procul quò te vocat atra Pleias,
Frange monstrosas radiosa nubes,
Protere noctem;
Da faces, oræ glacialis arces
Pleniùs lustra, i, niteas Batavo,
I, feras Daco sinuosa puri
Frœna diei;
I, tibi sparget famulare lumen
Pulcher astrorum chorus, & minantes
In Polum montes tibi se propinquo
Vertice sternent;
O tuo dulces radios Bootes
Pendulus nictu bibat, & gelati
Candidum stellà cupiant Triones
Supplice lumen;
O tuos magnæ micet inter ignes
Angliæ tellus, tibi Maura lucem
Luna furetur, ferus usta ploret
Jura Mametes;
O tuum visu jubar irretorto
Bulgarus spectet, malè pertinacem
Et tuus Moschum propiore vultu
Fulgor inauret;
Tu beas nutu Latium, tuaquè
Luce victrices Aquilæ probantur,
Alites nostri Jovis, ut Tonanti
Fulmina portent;
Non tuæ splendet sine flore lucis
Lilium Galli, speciosa Mavors
Ambit Hispanus decorare tanto
Arma nitore;

Me

Me tuus ſplendor jubet eſſe civem
Siderum, mentem benè pervicacem
Tu mihi donas, ruat ut per enſes
Prodiga vitæ,
Siſte me volox ubi Lithuanum
Ferreo armorum Scytha miſcet imbre,
Mitte quà Suecus ſibi luctuosà
Fulminat haſtà,
Te per immitis furioſa belli,
Te per obſtantes cuneos, per arma
Mente pugnaci ſequor, & laceſſo
Voce tyrannos.



Fe-

Felix in epidemiam antidotum.

ODE X.

AD P. HIERONYMUM CATTANEUM Soc. Jesu.

Qui anno MDCLII. toti præfuit juventuti, quæ Neapoli in Sosianum secesserat, cujus & cura, & felicitate nullus pestilentia occubuit.



VUlgus recedat: quò feror avius
Me major ipso? torvus eat retrò
Jam livor, & torno politum
Pindarico bibe dexter aure,
Carmen benignà: numinibus quoquè
Modesta vultu carmina supplici
Pro victimà arrident, odorà
Solliciti sine nube thuris.

At

At unde tanto plenus Apolline
Sublime textum carminis ordiar?
Quis splendidâ versùs inauret
In silice, aut adamante scribat?
Qui gurges, aut quæ ripa Cataneæ
Ignara laudis? serpere lubrica
Quot fama baccatur per urbes
Plena tui, ingenijque terras
Splendore tanti lustrat? ut arripit
Thybris secundi fluminis ostio
Nomenque, lumenque, & loquaci
Talia vociferatur unda!
Gratus videri lumine temperas
Dulci clientes, sed generosiùs
Te vincis ipsum, Sosianæ
Dum genium moderaris aulæ,
Latè scientem dum jacis exitùs
Mentem per omnes consilij celer,
Nec voce, nec nutu, at remisso
Cuncta supercilio gubernas:
Si quando verbis crimina vindicas,
Tunc lingua blando nectare spargitur,
Formido tunc errat decora
Fronte super, vel amica terret
Tunc ira culpas; dulcia perfici
Pulchrâ rigoris nube reconditus
Vultus minatur: qualis effert
Per tenebras radios Apollo,
Cum nubilorum gratia temperat
Lumen, quod ardet pleniùs aspici;
Amate fulgur, & timoris
Sollicitum removete frigus;
En vos benigno lumine sospitat
Prudens futuri temporis, acrium

En ille curarum catervas
Imperio necat irretorto.
His dum redundat carminibus Thybris,
Audivit ingens Vesujus, & comas
Excussit uvis purpuratas,
Ut biberet liquidum aure murmur,
Tantoque lætus murmure frondeas
Demisit aures, rursus & arbores
Erexit omnes, & fideli
Igne nives sine labe linxit,
Post hæc sonorùm mugijt, & sinu
Fumi repressit nubila splendidus,
Rursumque ter lambens pruinas
Hos calido dedit ore versus:
Regni columnas sternere flagitet
Injurioso Pestis anhelitu,
Virusque furtivum vibrando
Ausonias viduare terras,
Aut oppidis, aut urbibus ardeat,
Remotiores fulmine fortiùs
Perrumpat arces, fallat omnes
Excubias pede fraudulento;
Contagium, te vindice, pellitur,
Formido, vel te, frangitur, auspice,
Salutis ò præsens labantis,
E laribus mala Sosianis
Electe Cœlo trudere; civium
Nec invidemus lancibus, urbium
Dum splendor immigravit arvis,
Delicias operosiores
Villæ dederunt, aurea vidimus
Nobis relabi sæcula, stipites
Jam melle roravere, & aurum
Molle rudes peperere trunci

Nec

Nec disciplinæ lentus, amabili
Nexu, severis seria cum jocis
Misces, jocosa ne pudori
Sidereo ferat aura nubem.
Jussi precatu frangimus Æthera;
Jussi sub ipsum ludimus hesperum, &
Aglaja succedit Minervæ,
Arbitrio Catanensis auræ.
Quin ipse, furtim pectus ut ignium
Bacchatur atris seditionibus,
In alta, te viso, minantes
Astra sinu premo mutus ignes.



Ludus Gratiarum.

ODE X.

AD P. ANDREAM DE MARI

Soc. Jesu.

Cum, ipso authore, in Sosiano annuæ feriæ à studiosis de more celebrarentur,



LUdos cantet Apollinis,
 Narret semideum munera Principum
Auro dædala futili
 Doctæ non modicus bilis Horatius,
Me nec dona clientium
 Grajorum feriunt, dextera Cæsarum
Æquat nèc mihi præmia
 Andreæ, nimiùm splendida conspici;
Ludus me rapuit mihi,
 Quem villę in patulà lusimus areà,
Sub cordis penetralia
 Lapsus fervet adhuc: O Ligurum nitent

Quan-

Quantùm deliciæ, quibus
  Andreæ pretium gratia contulit.
Ludo frangitur ut dies,
  Victor sacchareas non fine plausibus
Merces depopulat, Ligur
  Quæ misit Genuæ munera finibus;
Vivo sculpta corallio
  Mors exucta genas fulgurat igneùm, &
Pulchris corda timoribus
  Consternata quatit: ridet amabili
Crux argentea lumine,
  In qua totus inest Dædalus; iconas
Fulvi lacryma Succini
  Ornat, Sarmatici divitiæ maris.
Nùm quæ divite despuit
  Tempestate Tagus, quæ vomit aurifex
Hermus, muneribus potes
  Permutare, quibus prodigus artium
Andreas juvenes beat?
  An sic aurifero fulgidus alveo
It Pactolus, & obvia
  Involvit rutilis arva liquoribus,
Fortunam agricolis ferens?
  Nùm plenas Venetum prætuleris domos
Magnæ dexteræ? an aureos
  Tu montes potiùs divitis Indiæ
Cures? cui facies parem
  Quæ crystalla dedit splendidior manus?
Crystalla, indomitæ nives
  Quæ montis pariunt, claudere lipsana
Dum gaudent, cineri decus,
  Splendoremquè sacris ossibus afferunt.
Non quos ducere spiritum
  Jussit Parrhasius, nùnc homini sciens

 Vi-

Vitam reddere, nunc Deum
E Cælo liquidis ferre coloribus,
Non quos vivere posteris
Cogebat memori marmore Phidias,
Aut saxo docili Scopas,
Andreæ poterunt vincere munera.
Ut vultus Genuatibus
Spirat de statuis vividus aspici!
Utquè artùs animat color!
Quæ ductis iterùm dextera pellibus
Telas penè loqui jubet,
Et chartis adicit Pergameis, viro
Pingens, & decus, & cutim, &
Dum vivens minio linea ducitur
Extremâ prior Iride,
Discunt à digitis æra calescere;
Artis gloria: cernitis,
Ut Divum effigies attonitis metu
Infundunt animis Deum!
At vel dura domant marmora temporis
Dentes, rodere præpetes
Quidquid nobilibus splendet in urbibus:
Æternùm viget omnium
Quam sub corde sui fixit imaginem.



Splen-

Splendeat dum feriat.

ODE XI.

AD P. THOMAM STROZZAM Soc. Jesu

Cum primò Neapoli per esuriales XL. dierum ferias in templo Soc. Iesu concionaretur.



O Qui, Strozza, ſtyli fulgure bellica
Vincis Scipiadum fulmina, mitibus
Iris ſivè cales, ſivè minacibus
Mens armata jocis ruit;
Præſens ingenio principis urbium
Raptas corda, Jovis voce potentiùs,
Cùm montes petit, aut culmina turrium
Decurtat ſcelerum memor;
Linguæ ſeù lepido murmure laberis,
Seù captis rapidus ſenſibus influis,
Seù mentes tetricis nubibus hiſpidas
Luſtras sole beatiùs:
Circumfuſa licèt ſint tenebris, nitent
Dulci corda tui lumine colloquì,

Discedunt timidi, monstra, Cupidines,
Menti post ubi fulseris:
Sic quà fervet adhuc Flandria cladibus,
Armis miles eat splendidus, aureùm
Dum vagina tremit, ferreus obvijs
Stragem dividit hostibus:
Latè luciferi non acies styli
Gemmis atteritur, gratiùs at ferit,
Plagam pectus amat, si grave spiculum
Artis nectare spargitur:
Ex auro jaciat fulmina Juppiter,
Nescit terga minus rumpere montium,
Quàm si tela coquat Norica, follibus
Vulcanus Boream premens:
Nilus, dum sitiunt sole, novalibus
Undarum cupidis sordidus ingruit;
At campos melior divite recreat
Tempestate Tagus, celer
Thesaurum agricolis ducere fertilem:
Sicoris pluvià nobilis aureà
Dum tu fida beas pectora, criminum
Fibras funditùs extrahis,
Ut virtus sterili corde regerminet;
Nec robur minuit gratia, leniter
At non mollè fluis; non quià militat
Unguentatus, habet minus
Flaccus fulminei roboris, horridùm
Ajax dum gladio fulminat, inclytum
Ensem Chrysolithis gestat Achilleus,
Nec cædit minus agmina,
Dùm gemmis capulus nexilibus micat:
Sic gemmas loqueris, fulminibus pares
Sed gemmæ feriunt, prosper et est tuo
Quisquis vulnere concidit:

Dicat Parthenope, quantus in impium
Velox ingenij ſurgis, ut impetu
Recto corda quatis! dexter ut occupas
Arcem mentis, & excutis
Felix eloquio pectoribus ſcelus!
Qualis corde ferus, pulcher amabili
Vultu Alcibiades, cingere Lilijs
Gaudebat galeam; moras
Loricæ violà nectere ſericà,
Aurataquè Roſæ ſcribere purpurà:
At ferro juvenum ſternere poplites
Caſtris arſit in hoſtium
Dicens; magnanimi credite milites,
Pectus, quod roſeis torquibus induo,
Devovi patriæ; percutit æmulis
Solem dum radijs apex
Fulgentis galeæ, me ſuper irruat
Tempeſtas equitum ferrea, Lilium
Pingam purpurei flumine ſanguinis,
Quo florum ſuperem decus:
Certant cum violis (cernitis?) æneà
Contuſæ galeà florigeræ genæ,
Lætus vulneribus quàm meliùs mea
Tingam cinnabari Roſam.



Natum cum victoriarum auſpiciis ſtemma.


ODE XII.

AD F. FERDINANDUM PALMERIUM

Equitem Hieroſolymitanum.

Poſt fortiter emenſum non ſine victorijs ſacræ piraticæ tyrocinium.

Sub Palmæ cognomini inſitæ allegoria.



FAvere quales Armigero Jovis
Solent canoris plauſibus alites,
Cycnique nidorum potentem
Supplicibus venerantur alis;
Plantæ minores cedere geſtiunt
Palmæ. Loquaces te fluvij ſonant,
Te ſylva frondoſo veretur
Murmure, te nemus omne curvis


Ado-

Adorat hastis, verticibus vocant
Montesque pronis, te melicæ canunt
Aves, & in ramis feroces
Nidum Aquilæ posuisse gaudent.
Quin ipsa ad umbras Calliope fugit,
Et hospitali fronde cupit tegi.
Ah mitte, te circum parumper
Pervolitet popularis aura:
Non indecoris en ederis lyra
Vestita totis te foliis petit,
Nectitque, te visa, coronas,
Datque tuis sacra serta ramis.
Emit virenti te dominam comà
Cedrus senectæ cedere nescia,
Pinùsque submittunt odoris
Cum lacrymis tibi colla, gaudent
Servire Olivæ, præmia fortium:
Ambit potenti stringere brachio
Te Quercus, & Laurus loquenti
Fatidicas tibi subdit umbras.
Amica Myrtus sed Veneris retro
Cedit, nec audet tollere verticem,
Te Taxus umbrarum maligna, &
Funereæ metuunt Cupressus:
Truncique inertes ludibrium foco
Jam destinati, ac te prope stipites
Jacere formidant; nec alta
Auricomæ sociata Viti
Te curat umbris versicoloribus
Sequi per agros Populus; arceat
Ni Vitis amplexum maritæ,
Et sibi sit satis umbra cælebs.
Videris! an me ludicra decipit
Imago fontis? Volga, Borysthenes,

Et Liris, & Ganges, & Indus,
Danubius, Rhodanusquè, & Albis
Palmam fluentis lambere gestiunt!
Vivisque lymphis in numerum canunt!
Fibrasquè radicis sonorus
Hinc liquido rigat Hermus auro:
Multo sed illinc flumine volvitur
Eurota avito transfuga littore:
Præclara sed fonti superbæ
Plus Melithæ placet umbra Palmæ:
Ex quo parentis de Melithæ madet
Hæc Palma lymphis, debita floridum
Ad Astra culmen (sacra tantùm
Terra valet Melithensis) effert.
Æterna vivas ò Melithæ precor,
Tuæ voluptas: ò sacra rhetorum
Corona, victorumquè, Palma,
O profugæ spatiosa cresce
Virtutis umbra: ah cur caput inferis
Sublimis Æthræ? latiùs explica
Comas recedentes in astra,
Et Latio expatiare campo.
Atqui feroci missus ab Æolo
Tumultuatur nimbus ad Albulam,
Et læta funestavit arva?
Hìc lacerat ferus Auster Ornum,
Illìc ab ima subruit Æsculum
Radice Caurus: sibilat Africus,
Ignarus, an Fagum trucidet,
An Tiliæ, Platanivè collum
Tempestuoso flamine conterat;
An celsa frangat brachia Fraxini,
Tandèm ferox, ac certus iræ
Truncat agens capita alta Pinûs
Ip-

Ipſo ſed Eurus ſævior Africo
Evertit, aufert, ſpargit, & integras
Minatur extirpare ſylvas:
Lenta Salix Aquilonis errat
Ludibrium; contrita furentium
Mugit Notorum Populus impetu:
Quaſſata conflictu Boræo
Triſtè gemit Terebynthus, Ilex
Nudata ramis ejulat horridùm;
Buxus Cytori gloria fluctuat,
Neſcitquè cui vento caduca
Pareat: illacrymatur Alnus,
Traditque Electrum trans mare Caſpium
Portare ventis: hìc Abies ſtrepit
Ferens ruinam: illic per auras
Sparſa videt ſua membra Robur;
Proh quanta montes texit, & æquora
Strages cadentum flebilis arborum!
Sylvamque conſternavit! haſtis
Planta ſuis viduata luget:
Hìc ſylva ſqualet, mœret ibi ſeges,
Aves queruntur, flumina murmurant
Infracta truncis: tu beatis
Sideribus, varijſquè Mundi
Servata ventis, ilicet altiùs
Sylvis decorum porrige verticem,
O Palma, & immortalè vivens
In Melithæ dominare Cœlo.





LIBER III.

Gulæ Amphitheatrum

ODE I.

IN COENAM

Quam Jo: Baptiſta de Capua Dux Mignanenſium Capuæ domi ſuæ paravit Aſturicæ Auguſtæ Marchioni, cum Roma prorex proficiſceretur Neapolim.




Semivir Aſſyriâ rex Sardanapalus ab aulâ
Hùc ventrem, & hùc gulam ferat,
Et ſe damnet avaritiæ, luxuquè minorem,
Suam relinquat Regiam,
His animam ponat menſis, dapibuſquè tèr amplis
Cordis ſaginam conſecret,

se-

Sedabitquè famem visu, explebitquè tuendo
  Vasti Charybdim gutturis,
Et stomachi Scyllam, licèt hæc latratibus audax
  Strages aprorum flagitet.
Ast in cordis adhùc memores illapsa recessùs
  Hesterna cœna me tenet;
Quis sparsum memoret peregrinis altile plumis,
  Piliquè non noti feras?
Quis poterit narrare dapes, & digna vocari
  Jovis cerebrum fercula?
Quis certantes ambrosiæ laudabit odores,
  Et dulce patinarum chaos?
India quot gravibus transmisit aromata mensis?
  Vis quanta fluxit sacchari
Fercula lauta super, notos mentita sapores?
  Stetere turritæ dapes
Dentibus excindi metuentes funditùs, acrem
  Et belluata fercula
Absterrere gulam, vel devastare palatum
  Rictu minabantur truci;
Indocilem tangi visu daps illa Leonem
  Dum simulat, intùs alites
Servat, at hæc Ursum sævo dùm monstrat in ore,
  Rhombumquè celat, & Scarum,
Hunc prope Tigris erat, dulces sed fracta liquores,
  Cibosquè de sinu dabat,
Et blandè in stomachi penetralia descendebat,
  Solam voraret ut famem:
Sic personato sub vultu delituerunt
  Dapes agentes belluam,
Prodigiosa velut cupido spectacula ventri
  Tanquam in theatro traderent:
Quòt mare, quòt tellus hùc misit edulia, formis
  Tàm dissidentibus sibi!

Ge-

Gestabat tumidà Starnas Delphinus in alvo,
Et Phasis ales Lampetras,
E Siculi Perdix condebat ventre Pelori
Discerpta saxis ostrea,
Multa machærophorum farsit ficedula piscem,
Mullisquè turgebat Lepus;
Scitamenta modis variant dùm mille figuras,
In folia latè candida
Extenuata Ceres vestit pulmenta, bisunctas
Coacta per gyrum in rosas;
Quid narrem attonito spumantia dona palato
Lenocinantis Massici?
Quid Græcum, liquido quod si contenderet auro,
Vel fulgur auri vinceret?
Quòt risus veniens Vesuvino Lacryma clivo
Commovit? uvæ lacryma
Purpureæ purùm cælato risit in auro,
Calena spernens pocula:
Quæquè avidis libata labris jentacula, versit
Cum sera lux in vesperam?
Miscebant blandum Crystallina vasa nitorem
Cum nive suo latè in sinu
Fructibus impositâ, glaciatos poma sapores
Dabant stupescenti gulæ,
Sorberi facilis Thetis in cratere rigebat
Mutans colores, divitum
Sacchareis Ligurum gazis onerata gemebat
Secunda mensa ..plaudite.




Di-

Divinum gulæ irritamentum.

ODE II.

AD P. DOMINICUM JAMEUM Soc. Jesu.

In gratiam celebris Beneventanæ ex patrio rure Cepæ.



O Vel Sithonià candidior nive
Quis te monticolà spargat Origano,
Risus, Bulbe, palati,
Lascivæ soboles humi?
Præ'te semimarem capum habeo procùl;
Se quamvis liquido dentibus offerat
Sparsum nectare, lautam
Bis, tèrquè eijcio dapem:
Rivo lota nites, Cepa, nè lacteo?
An te mellifluo mersit in alveo
Nili potor? ut albes
Vivo lucidior vitro!

Hoc

Hoc formam, ſpeculo judice, corrigat
Tempeſtiva viro nympha, nèc appetat,
Ut fornace tèr amplum
Cryſtallum Veneti doment:
Tu, mores cupiunt noſcere ſiderum, &
Servant aſtrologi dùm genium Ætheris,
Splendes æmula ſphæris,
Ægypti dea nobilis;
Hinc Nili ſapiens accola vatibus
Ceparum ſpolijs impedijt comas,
Et cepis Ptolomæo
Règale implicuit caput
Quà Peluſiades villicus aſperam
Tellurem ad ſegetes vomere mitigat,
Ut naſcantur in agro
Bulbi, numina patriæ;
Vobis eſca parùm cognita, divites,
Qui cùr innocuas negligitis dapes,
Ut condita venena
Lanx argentea porrigat
Inter pennigeri Phaſidos alites?
Cùr ex Oceani marginibus placet
Accerſita voluptas
Ad nutum ſtomachi? licet
Indignetur atrox pontus, & obruat
Improviſus aquæ vorticibus rates,
Et quamvis Thetis undas
Armet perfida cautibus:
Hùc Muræna Phari faucibus advolat,
Inſanum Siculi delicium freti, &
Ducit Nauta Pelori
Concham, ludibrium Gulæ:
Illinc turbinibus militat Africus,
Hinc pugnat Boreas fulmine, perviæ


Ven-

Ventri grande tributum
Antemnæ tamen invehunt,
Expectante coquo, qui tèr adulterat
Externæ Thetidos dona ſaporibus,
Multa & polluit arte
Nativas Cereris nives.
At Natura ſuper prandia Principum
Synceras repetit delicias, ſuos
Scitamenta ſapores
Quid corrumpere geſtiant?
Clamat: cur ſtomachi gratuitis ſtrepant
Averſi dapibus? dextera virgines
Cur ſic inquinet eſcas
Indis dives odoribus?
Convivîſnè ſtruunt prandia: an hoſtibus
Implacata gerunt prælia? cædibus
Fervent tecta, cruore
Mixto fluctuat atrium:
Heù clades avium? ſtat capitis minor
Perdix, aligerum gloria, lancibus
Donatura liquores
Succis ambroſiæ pares;
Hinc tabo violas gutturis imbuit
Pauus, cauda licet pulchrior Iride
Vernet, paſcit avaram
Alvum candidior nive:
Depulſæ teneris uberibus gemunt
Hinc fuſo vitulæ ſanguine, quas ager
Surrentinus odori
Paſtu graminis educat;
Armatur verubus non humilis focus,
Latè continuis ſplendidus ignibus,
Lenti flore caloris
Miteſcunt epulæ rudes;

Hu-

Humor dùm dapibus torridus effluit,
Ac pleno querulæ fercula sibilant
In sartaginis æstu,
Et dùm cœna calet dape,
Exudat mediis pistor in ignibus,
Fumantes epulas porrigit, advenam
Nèc semusta saporem
Almæ sentit avis gula,
Infarcitur avis piscibus, alitum
Piscis strage tumet, fercula glutiunt,
Ut subversa vomant, mox
Ut rursùs comedant, vomunt:
Dedignatur ali venter, & evocat
Diversis epulas orbibus, & placet
Quicquid quæritur, ultrò
Tritæ deliciæ jacent:
Hinc Lesboa petunt vina, nitentibus
Et quæ dives habet palmitibus Chios,
Cœnatoquè pares Jovi
Undam nectaris ebibunt;
Hesterniquè epuli seditionibus
Dùm pugnat stomachus noctis in otio,
Hospes prandia, somno
Luctans, crastina præparat:
Jàm crudi redeunt manè, sed afferunt
Majorem ingluviem ventre, jacentium
Quem vix cæde ferarum
Venatrix onerat cohors:
Hos dùm mensa cibis ambitiosior
Longè dispositis poscit, ut excitet
(Dulcis pœna) palatum
Dudùm deliciis grave;
Circum ipsi volitant fercula, fervidis
Qualis prædæ inhiat Milvius unguibus,

Inſpectiſque ſtupentem
Irritant dapibus famem:
Quid gustant epulas? prodiga Principum
Callent deliciis guttura, non amant
Nutritura, nèc optant
Guſtu, ſed pretio cibos:
Quærit què attonita Clodius à gula,
Quid ſtultis ſapiat faucibus Unio,
Illum par Cleopatræ
Bacchi viribus edomat:
Quid? nutrit famulo ſanguine lucidas
Muræenas maculis Pollio? proh ſcelus!
Sic humana, nefandè
Lurco, viſcera devorat.



Gra-

Gradivi gloria ſupplex.


ODE III.

AD P. ANDREAM DE PUTEO

SOC. JES.

Suum in rhetorica magiſtrum.

Cum Livianum illud celeberrimum prælegeret: Annibal peto pacem.



DUm nova Fata meam ſecum traxere ruinam,
En Annibal pacem peto:
Prodigiale precor
Munus, & indignor: ſed habetur gratia Fatis,
Quòd te dederunt arbitrum:
Sola ſit Annibalis
Gloria, Scipiadas precibus ſuperaſſe, vel armis;
Deponit hìc enſem, Africæ
Ut prece vincat herum,

An-

Annibal; egregijs belli quoque laudibus adde,
Nec tenuis esto gloria,
Alpibus edomitis,
Annibalem cessisse tibi, cui numina,gentes
Ut insolentes frangeret,
Erudiere manum:
Fidis at ingenio, celeri gladijque ferocis
Felicitate duceris,
Ferre trophæa truci
Fingis ab hoste domum: Martis qui corde volutat
Sed infideles exitùs
Non studet arma: sapis,
Si sine sanguine restinguas incendia belli
Nutrita Romæ cladibus,
Nè tua membra crement.
Ast Italæ exultant Syphacis per colla catenæ,&
Indus ruinæ vel novo
Audit ab orbe sonum,
Et patris, & patrui clarissima funera Pœno
Ter expiasti sanguine,
Pellimur Hesperià,
Gurgite captivus querulo tibi servit Iberus;
Ferrique Romani jubar
Sicelis ora tremit,
Sardiniæ plenas tibi servant horrea messes,
Et Punicarum virium
Ipse cinis perijt,
Me quoque ab Italiæ amplexu tuus abstulit ensis
Fati faventis impetu
Prosperiore ferox,
Quis scit, an ipse velis paci prævertere bellum;
Novi Latinos spiritùs
Splendida cœpta sequi.

Uti-

Utiliora procul nativo ſpernere faſtu.
Sed fige metam gloriæ,
Scipio, ſiſte gradum;
Altiùs ut volites, turpem ne quære ruinam:
Et verba quondam duplici
Sors mihi fronte dedit,
At non ipſa parem donarunt numina mentem,
Ut rerum ab alto cernerem
Fata ſiniſtra procul:
Sim nunc ipſe tibi documentum, & munera Sortis
Vili æſtimabis: viderat
Arx modò celſa Jovis
Quem Romana avido metiri mœnia viſu,
Carthaginis ſub arcibus
Obſidione premor:
Cum Dea ſubridet nitido Rhamnuſia vultu,
Tum numini credas minùs:
Integra pax melior,
Quàm lacerata gravis pretium Victoria belli;
Scriptum Latino ſanguine,
Dum mea Fata volunt,
Annibalem Romana ferant vexilla per Orbem,
Qui dona pacis flagitet;
Scipio, & Aſdrubalis
Me quoq; per ſpolia involve, & me Fama per urbes
Sortis malignæ prædicet
Nobile ludibrium;
Ille ego ſum, plauſi qui jàm bella, horrida bella
Venturus in lucem tener,
Me ſacra clauſtra parens
Expugnantem uteri ſenſit, ſtrepituque tubarum
Fortem querelam miſcuit
Cum paritura ſtetit,
Excepit clypeo naſcentem ad prælia Mavors,

E Nu-

Nutrice crevi Pallade,
Sustinui arma puer,
Dux juvenis (nostri hæc series sit pompa feretri)
Hispanijs in Gallias
Dum vaga bella traho,
Me per summa diu Fortuna pericula misit;
Post hæc ab Alpis vertice
Intonuere minæ:
Nubiferas fregi Herculeis par viribus Alpes:
Et incolam Alpium ferum;
Nuper & Italiam
Vincendo senui; lateri qui militat, ensis
Inauspicato consulum
Sanguine tinctus ovat;
Annibalis tremuit sub gressibus Apœninus;
Romano adaucta sanguine
Ense sub Annibalis
Mutarunt veteres trepidantia flumina ripas,
Cadaverumque ab halitu
Intepuere nives.
At te nec Mavors, nec te Fortuna fefellit:
Me Sorsquè, Marsquè in Italo
Deservere solo;
Ergò negas Fatis felicem incidere cursum,
Quem Martis inter exitùs
Sors furiosa dedit.
Te latet? illa levi ridet mortalia vultu, &
Typho insolenti perprimit
Quem ter ad astra tulit.
Quod fuit ad Cannas infelix Annibal, altæ
Carthaginis sub mœnibus,
Non sine clade mei
Nominis, es quoquè Scipiades; ne fide sequacis
Auræ secundæ Palladis,
Fallere vela parat: Sci-

Scimus ut explicuit Maurus mea signa maniplus
 Romæ sub altis arcibus,
  Cum mea castra Thybris
Undis extimuit captis, Numidæquè ferocem
 Equi refugit ungulam; at
  Nunc timet Afra nurus
Romani strepitumquè equitis, lituiquè minaces
 Cum buccina misti sonos;
  Sit Jovis illa domus,
Credideram lacerare meo Capitolia ferro,
 Orbiquè leges scribere;
  Pectore ab Annibalis
Quæ nunc exanimes audent prorepere voces?
 Pacem precatur? supplici
  Nec datur Annibali?
O pudor! ipsa meos Cannensis pugna timores
 Inauspicatos increpat;
  Vociferantur aquæ.
Miratur mea dicta Anio non immemor hastæ,
 Cujus trementi bellicus
  Lusit in amne nitor;
Quod nec speravit jàm felix Africa, Martis
 Opima fingens munera; at
  Tæduit Annibalem
Te, Fortuna, sequi, piguit servire triumpho,
 Victoriarum tædio:
  Nunc peto pacis onus:
Ipsa recusanti obluctantur verba palato,
 Pectusquè tot rerum memor
  Verba salire vetat:
Si patitur Pluto, refer hùc, precor, Asdrubal, aures,
 Horrete, manes inclyti,
  Gloria quò cecidit?

E 2 An-

Annibal ille ferox pacis nunc otia poscit,
Audite, Cannæ, perpeti
Quid mea fata jubent:
Audi Romulidum turbatus cædibus, extra
Ripam &, Ticine, difflue,
Si tabie unda tumet:
Audiat hæc Trebias, revomatquè cadavera, Diti
Quæ nostra misit dextera,
Et clypeos, galeasquè;
Hæc indignatus Thrasymenus, & arma revolvat,
Quantùm & trophæorum hæc manus
Præcipitavit aquis
Expuat Eridanus, dextroquè in margine tollat,
Spectet superbo lumine
Nunc ea Scipiades:
Post dextrā hanc, quæ vivit adhùc, spectabit, & ensé,
Mentemquè munitam artibus,
Et videat Numidarum
Italico toties perfusum sanguine ferrum, &,
Hic dùm trahetur spiritus,
Me quoquè respiciat;
Immortale mihi pacis qui dedecus opto;
Nec sic protervè Scipio
Riserit Annibalem.



Pa-


Pacis in Annibale dedecus

ODE IV.

In Annibalem, qui, pace per Scipionem negata, Romanis bellum indicit.

AD D. CÆSAREM MORMILEM,

Cum centurio primi ordinis crearetur.




PRæmia perdidimus belli, tot castra, tot urbes,
Duces, triumphos, gloriam,
Tot spolia, Italiam;
Hoc deerat, Fortuna, mihi; pacem ipse superbi
Victoris ad pedes peto,
Nec datur Annibali?
Quid? pacem petijsse pudet: placet ire per enses
Quæ sustinet Carthaginem,
Sic mea dextra monet;

Audeat effosso Curius prorumpere busto,
Umbræquè dives splendidæ
Fabricius redeat,
Brutia Marcellum festinet tradere tellus,
Ut astra secum militent,
Tùm date ter Fabium,
Robora Scipiadum Pœno committite Marti,
Tunc me Camillus sentiat,
Annibal alter erit;
Horrida bella tuli, peregrini & sidera Cæli,
Et Scipionum fulmina,
Nec fera me tumulat
Italiæ tellus: an me Carthago, Senatu
Spectante Pœno, viderit
Arripuisse fugam?
Secum fata ferat, non me fugat iste, benigna
Qui præter infidæ nihil
Munera Sortis habet,
Pectoris oblitus patrij, vix nominis hæres:
Quæram theatrum cladibus,
Majus & Apuliæ
Vico; sint nostri Cannæ jactura furoris;
O ira, perge stragibus
Opprime Scipiaden
Tristia nunc Afris meditantem funera terris.
Adsint ab imis Tartari
Sedibus Eumenides,
Et Romæ metuenda parent incendia belli;
I nunc, proterve, & Africæ
Martia bella move,
Italiam contemne ferox, hinc Tænara pandam,
Ut umbra secteris patrem;
Credis an Annibalem

In

In latebras cessisse ! mea in Carthagine Thybris
Insanus ante luserit,
Quàm trepidasse ferar:
Annibal ad portas fuit, & Capitolia ferri
Diverberavit lumine,
Te prope, Thybri, bibit,
Tarpejumquè Jovem strictis deterruit armis,
Pulchrisquè Romam lacrymis
Flevit ab arce Venus,
Et memorat pleno Thrasymenus gutture cædes;
Quas Maurus olim Punico
Edidit ense Furor:
Ille ego sum, nostræ nec desunt pectora dextræ,
Si fortè Pœnum Scipio
Nesciat Annibalem:
Quidquid opum Numidæ Fortuna reliquit, arenis
Ex Africanis exprimam, ut
Agmina Martis alam:
Scipio conscendet celsas Carthaginis arces,
Et delicato in Africam
E gremio Italiæ
Traxisse Annibalem toto narrabitur Orbe?
Ut quid moraris, clare dux,
Vertere vela retro?
Nomen, & Annibalis dextram novere Latini,
Tuusquè sensit Africæ
Fulmina prima parens,
Funera quid differs Urbi? Carthaginis ense
Disce à parente perfodi,
Hùc tua fata vocant;
Nec tibi sit pudor in nostra si stratus arena
Doces Latinos consules,
Ut sua recta terant.

Inspectisque stupentem
Irritant dapibus famem:
Quid gustant epulas? prodiga Principum
Callent deliciis guttura, non amant
Nutritura, nèc optant
Gustu, sed pretio cibos:
Quæritquè attonita Clodius à gula's
Quid stultis sapiat faucibus Unio,
Illum par Cleopatræ
Bacchi viribus edomat:
Quid? nutrit famulo sanguine lucidas
Murænas maculis Pollio? proh scelus!
Sic humana, nefandè
Lurco, viscera devorat.



Gra-

Gradivi gloria supplex.


ODE III.

AD P. ANDREAM DE PUTEO

SOC. JES.

Suum in rhetorica magistrum.

Cum Livianum illud celeberrimum prælegeret: Annibal peto pacem.



DUm nova Fata meam secum traxere ruinam,
En Annibal pacem peto:
Prodigiale precor
Munus, & indignor: sed habetur gratia Fatis,
Quòd te dederunt arbitrum:
Sola sit Annibalis
Gloria, Scipiadas precibus superasse, vel armis;
Deponit hìc ensem, Africæ
Ut prece vincat herum,

An-

Annibal; egregijs belli quoque laudibus adde,
Nec tenuis esto gloria,
Alpibus edomitis,
Annibalem cessisse tibi, cui numina,gentes
Ut insolentes frangeret,
Erudiere manum:
Fidis at ingenio, celeri gladijque ferocis
Felicitate duceris,
Ferre trophæa truci
Fingis ab hoste domum: Martis qui corde volutat
Sed infideles exitùs
Non studet arma: sapis,
Si sine sanguine restinguas incendia belli
Nutrita Romæ cladibus,
Nè tua membra crement.
Ast Italæ exultant Syphacis per colla catenæ,&
Indus ruinæ vel novo
Audit ab orbe sonum,
Et patris, &patrui clarissima funera Pœno
Ter expiasti sanguine,
Pellimur Hesperià,
Gurgite captivus querulo tibi servit Iberus;
Ferrique Romani jubar
Sicelis ora tremit,
Sardiniæ plenas tibi servant horrea messes,
Et Punicarum virium
Ipse cinis perijt,
Me quoque ab Italiæ amplexu tuus abstulit ensis;
Fati faventis impetu
Prosperiore ferox,
Quis scit, an ipse velis paci prævertere bellum;
Novi Latinos spiritùs
Splendida cœpta sequi

Uti-

Utiliora procul nativo spernere fastu.
Sed fige metam gloriæ,
Scipio, siste gradum;
Altiùs ut volites, turpem ne quære ruinam:
Et verba quondam duplici
Sors mihi fronte dedit,
At non ipsa parem donarunt numina mentem,
Ut rerum ab alto cernerem
Fata sinistra procul:
Sim nunc ipse tibi documentum, & munera Sortis
Vili æstimabis: viderat
Arx modò celsa Jovis
Quem Romana avido metiri mœnia visu,
Carthaginis sub arcibus
Obsidione premor:
Cum Dea subridet nitido Rhamnusia vultu,
Tum numini credas minùs:
Integra pax melior,
Quàm lacerata gravis pretium Victoria belli;
Scriptum Latino sanguine,
Dum mea Fata volunt,
Annibalem Romana ferant vexilla per Orbem,
Qui dona pacis flagitet;
Scipio, & Asdrubalis
Me quoq; per spolia involve, & me Fama per urbes
Sortis malignæ prædicet
Nobile ludibrium;
Ille ego sum, plausi qui jàm bella, horrida bella
Venturus in lucem tener,
Me sacra claustra parens
Expugnantem uteri sensit, strepituque tubarum
Fortem querelam miscuit
Cum paritura stetit,
Excepit clypeo nascentem ad prælia Mavors,

Nutrice crevi Pallade,
Sustinui arma puer,
Dux juvenis (nostri hæc series sit pompa feretri)
Hispanijs in Gallias
Dum vaga bella traho,
Me per summa diu Fortuna pericula misit;
Post hæc ab Alpis vertice
Intonuere minæ:
Nubiferas fregi Herculeis par viribus Alpes:
Et incolam Alpium ferum;
Nuper & Italiam
Vincendo senui; lateri qui militat, ensis
Inauspicato consulum
Sanguine tinctus ovat;
Annibalis tremuit sub gressibus Apœninus;
Romano adaucta sanguine
Ense sub Annibalis
Mutarunt veteres trepidantia flumina ripas,
Cadaverumque ab halitu
Intepuere nives.
At te nec Mavors, nec te Fortuna fefellit:
Me Sorsquè, Marsquè in Italo
Defervere solo;
Ergò negas Fatis felicem incidere cursum,
Quem Martis inter exitùs
Sors furiosa dedit.
Te latet? illa levi ridet mortalia vultu, &
Typho insolenti perprimit
Quem ter ad astra tulit.
Quod fuit ad Cannas infelix Annibal, altæ
Carthaginis sub mœnibus,
Non sine clade mei
Nominis, es quoquè Scipiades; ne fide sequacis
Auræ secundæ Palladis,
Fallere vela parat: Sci-

Scimus ut explicuit Maurus mea signa maniplus
Romæ sub altis arcibus,
Cum mea castra Thybris
Undis extimuit captis, Numidæquè ferocem
Equi refugit ungulam; at
Nunc timet Afra nurus
Romani strepitumquè equitis, lituiquè minaces
Cum buccina misti sonos;
Sit Jovis illa domus,
Credideram lacerare meo Capitolia ferro,
Orbiquè leges scribere;
Pectore ab Annibalis
Quæ nunc exanimes audent prorepere voces?
Pacem precatur? supplici
Nec datur Annibali?
O pudor! ipsa meos Cannensis pugna timores
Inauspicatos increpat;
Vociferantur aquæ.
Miratur mea dicta Anio non immemor hastæ,
Cujus trementi bellicus
Lusit in amne nitor;
Quod nec speravit jàm felix Africa, Martis
Opima fingens munera; at
Tæduit Annibalem
Te, Fortuna, sequi, piguit servire triumpho,
Victoriarum tædio:
Nunc peto pacis onus:
Ipsa recusanti obluctantur verba palato,
Pectusquè tot rerum memor
Verba salire vetat:
Si patitur Pluto, refer hùc, precor, Asdrubal, aures,
Horrete, manes inclyti,
Gloria quò cecidit?

Annibal ille ferox pacis nunc otia poſcit,
Audite, Cannæ, perpeti
Quid mea fata jubent:
Audi Romulidum turbatus cædibus, extra
Ripam &, Ticine, difflue,
Si tabie unda tumet:
Audiat hæc Trebias, revomatquè cadavera, Diti
Quæ noſtra miſit dextera,
Et clypeos, galeaſquè;
Hæc indignatus Thraſymenus, & arma revolvat,
Quantùm & trophæorum hæc manus
Præcipitavit aquis
Expuat Eridanus, dextroquè in margine tollat,
Spectet ſuperbo lumine
Nunc ea Scipiades:
Poſt dextrã hanc, quæ vivit adhùc, ſpectabit, & enſẽ,
Mentemquè munitam artibus,
Et videat Numidarum
Italico toties perfuſum ſanguine ferrum, &,
Hic dùm trahetur ſpiritus,
Me quoquè reſpiciat;
Immortale mihi pacis qui dedecus opto;
Nec ſic protervè Scipio
Riſerit Annibalem.



Pa-


Pacis in Annibale dedecus

ODE IV.

In Annibalem, qui, pace per Scipionem negata, Romanis bellum indicit.

AD D. CÆSAREM MORMILEM,

Cum centurio primi ordinis crearetur.



PRæmia perdidimus belli, tot castra, tot urbes,
Duces, triumphos, gloriam,
Tot spolia, Italiam;
Hoc deerat, Fortuna, mihi; pacem ipse superbi
Victoris ad pedes peto,
Nec datur Annibali?
Quid? pacem petijsse pudet: placet ire per enses
Quæ sustinet Carthaginem,
Sic mea dextra monet;

Et consanguineas satiabo hostilibus umbras
Ingurgitatus cædibus;
Porrigat arma Furor,
In mea nunc nimius descendat pectora Mavors,
Tantum & Latini sanguinis
Lancea nostra bibat,
Quantum contraherent ardenti gutture Tigres,
Hyrcana quas tellus alit,
Aut glacialis Athos;
Scilicèt ingrediar patrias inglorius arces?
Ad gloriam Pœnus novum
Straverit ensis iter;
Hostes Italiæ quæram per viscera, magnus
Si desit hostis, atterat
Annibal Annibalem.
Erravi procul, emendet mea vota Gradivus,
Dulci & ruina condere
Si mea busta juuat,
Annibalem Romæ ipsa ruens si machina frangat,
Non saxa Mausoli invidet,
Pyramidumque decus;
Livida fata meo pugnas immittite ferro,
Cujus sub ictu cuspidis
Pallida Roma stetit;
Non hodie tot habet Romana potentia fasces,
Quot e cæde raptos consulum
Urbis ad opprobrium
Præ se ferre potest media Carthagine Pœnus,
Te, Paule, testor, inclyti
Vos voco Scipiadæ, &
Quot mea dextra duces stupidum detrusit ad Orcum;
Judex sit hostis, an nè Pax
Annibalem deceat:
Imperium hæc potuit manus inclinare Latinum,
Nunc


Nunc molle pacis dedecus
Desidiosa petet ?
O mea Sors, illis committe pericula dextris,
Fregere quæ Alpium juga, &
Perdomuere nives,
Hoc caput objiciam, Romanus fulminet, armis,
Audite, & Afri, & Itali, &
Hoc bibat aure Thybris;
Non me Romulidæ superarunt; deliciarum
Flores ut ensis messuit,
Perdidit ille aciem
Sanguinis oblitus; credat Carthago, malignum
Sic jussit astrum, ut impotens
Tunderet arma Venus,
Texuit insidias meretrix famosa deorum,
Est mater Æneæ, dolis
Romula bella fovet,
Me Capuæ illaqueans luxu, tulit arma nepotum,
Nomenquè ad usquè sidera:
Tollite me Capuæ,
Demite Seplasiam Annibali, plumasquè coactas
Servire segni culcitræ,
Vertite funeribus
Delicias, unguenta, rosas, hæc arma feroces
Dextro sine hoste proterunt
Proh pudor! Annibales;
Mittite me Cannas, illum mihi dedite Pœnum,
Per quem cruento decolor
Amne, Ticine, fluis,
Reddite me nivibus, Mavors hùc transferat Alpes,
Alpiumquè monstra, reddite
Annibali Annibalem.
Post hæc laurigerum linquat Serranus aratrum,
Victoriarum nobilis
Me premat ille sator, Au-

Audeat effosso Curius prorumpere busto,
Umbræquè dives splendidæ
Fabricius redeat,
Brutia Marcellum festinet tradere tellus,
Ut astra secum militent,
Tùm date ter Fabium,
Robora Scipiadum Pœno committite Marti,
Tunc me Camillus sentiat,
Annibal alter erit;
Horrida bella tuli, peregrini & sidera Cæli,
Et Scipionum fulmina,
Nec fera me tumulat
Italiæ tellus: an me Carthago, Senatu
Spectante Pœno, viderit
Arripuisse fugam?
Secum fata ferat, non me fugat iste, benigna
Qui præter insidæ nihil
Munera Sortis habet,
Pectoris oblitus patrij, vix nominis hæres;
Quærtam theatrum cladibus,
Majus & Apuliæ
Vico; sint nostri Cannæ jactura furoris;
O ira, perge stragibus
Opprime Scipiaden
Tristia nunc Afris meditantem funera terris.
Adsint ab imis Tartari
Sedibus Eumenides,
Et Romæ metuenda parent incendia belli;
I nunc, proterve, & Africæ
Martia bella move,
Italiam contemne ferox, hinc Tænara pandam,
Ut umbra secteris patrem;
Credis an Annibalem

In

In latebras cessisse! mea in Carthagine Thybris
Insanus ante luserit,
Quàm trepidasse ferar:
Annibal ad portas fuit, & Capitolia ferri
Diverberavit lumine,
Te prope, Thybri, bibit,
Tarpejumquè Jovem strictis deterruit armis,
Pulchrisquè Romam lacrymis
Flevit ab arce Venus,
Et memorat pleno Thrasymenus gutture cædes;
Quas Maurus olim Punico
Edidit ense Furor:
Ille ego sum, nostræ nec desunt pectora dextræ,
Si fortè Pœnum Scipio
Nesciat Annibalem:
Quidquid opum Numidæ Fortuna reliquit, arenis
Ex Africanis exprimam, ut
Agmina Martis alam:
Scipio conscendet celsas Carthaginis arces;
Et delicato in Africam
E gremio Italiæ
Traxisse Annibalem toto narrabitur Orbe?
Ut quid moraris, clare dux,
Vertere vela retro?
Nomen, & Annibalis dextram novere Latini,
Tuusquè sensit Africæ
Fulmina prima parens,
Funera quid differs Urbi? Carthaginis ense
Disce à parente perfodi,
Hùc tua fata vocant;
Nec tibi sit pudor in nostra si stratus arena
Doces Latinos consules,
Ut sua tecta terant.

Olim Romulei me nutrivere cruores,
Nunc quid geretur grandius
Annibalis genio;
Alpes cum nivibus geminate, pericula, bellum,
Strages, ruinas, provocent
Monstra quoque Annibalem,
Scipiaden, & me vincam; facilemquè per Alpes
Inhospitales Annibal
Scit reperire viam:
Ah furor est, victas iterùm transire per Alpes,
Hæc tarda nunc mihi est via,
Digna nec Annibale
A furijs ardente, novo lacerare duello
Carthaginem, & Romam, juvat;
Posse premi Italiam
Vincendo didici, implebò, nec milite classem,
Quæram ruina nunc iter;
Nàm decet Annibalem
Non tritas iterare vias, ad prælia fatis
Ibo timendis! obvius:
Africa bella neget;
Ensibus armabo Manes, & fraudibus enses;
Hùc hùc Amilcar, Asdrubal,
Hùc properate, duces,
Qui mécum ad Trebiam pugnastis, vos quoq; posco
Umbræ minores Africæ, &
Numidici cineres,
Si finat ire Charon, patriam defendite, bustis
Ne victor insultet, sum ego
Umbra quoquè Annibalis.




Mu-

Musæ actio in speculum.

ODE V.

AD P. FRANCISCUM
GUARINUM
Soc. Jesu

Cum is Theologiam in Parthenopæa academia prælecturus negaret, homines, resquè humanas videri in Deo tanquam in speculo.



PLatea fastûs splendida, pensilis
Mendaciorum scena nitentium,
Fugax & umbrarum theatrum,
Leno pudicitiæ protervus,
Illustre formæ prostibulum, fuge è
Sacræ virili Palladis atrio:
Te pecten optat, te capillus,
Fœmineum tibi quære mundum
Inter spadonum vulgus, & inscias

Veri puellas, quæ sibi gestiunt
  Errare, blandiriquè mendis,
    Et vitium decorare gemmâ;
Cur me profano lumine percutis,
Et innocentem polluis aërem
  Nitore mendaci? procaces
    Tenta oculos, juvenumq; mentes.
Et arrogantem, te quoquè judice,
Severa nævum fœmina corrigat,
  Frangatque, peccantemque crinem
    Discruciet, calidoquè ferro
In delicatos torqueat annulos,
Colliquè mox de margine, fluminis
  Derivet in morem, sequaci
    Ut juvenum moveantur aurâ;
Effœminato neù muliebritèr
Vitro, sodales, credite, splendidùm
  Mentitur, ac omnes decori
    Prostituit sine lege mores,
Illi rubricæ munera serviunt,
Et dulce labri, cinnabaris, decus,
  Venena vultus, & venusta
    Toxica nil metuentis ævi
Impunè; virus dum ore tenus placet
Gestare; Divini at pelagi tamen
  Scrutator audet lucis authorem
    In speculo occuluisse numen:
Quo nempè vitro frangitur & pudor,
Quod pulchra rumpit frœna modestiæ;
  Vultùs & incestat decentis
    Munera deteriore fuco:
Te Phœdra tangat conjugis immemor,
Privigno ut audax peccet adultero,
  Famosa te Nili meretrix

De

De thalamo Cleopatra spectet,
Te te salutet Fausta, redintegrat
Cum blanda Crispum fallere, Turcici
Te sub gynæcei profundum
Semiviri ejiciant spadones.
Frustrà pudorem dicimus exulem
Lenonis arte, ah consilio vitri
Cerussa regnat; & veneno
Forma perit violata, languet
Illusa virtus mascula, non suis
Adulterantur labra coloribus,
Frequens & insulso pudendùm
Mala nitet medicata gypso.
Discessit eheù sola Semiramis
Interrogato de speculo ferox,
Crinesquè post tergum volantes
Sparsa, stitit sine cæde vulgus:
Datum sàt, inquit, sit popularibus
Rixis, sàt arsit mota fragoribus
Bellona vestris, hìc Furori
Jura semel temerata dono:
Non sola Pallas fulminat, & mihi
Inter spadones pectora palpitant
Virilè; & Alciden petivit
Fœmineo metuenda vultu
Par ipsa monstris Hippolythe, suo
Post victa fato cessit, at Herculi;
Cedam nec Alcidæ, nec unum
Me poterit superare numen:
Abominato jus sceleri datum
Hæc gnara cladùm dextera conteret,
Aptate mì crines Megeræ,
Et date Tisiphonæ flagellum,

Ego

Ego ipsa vobis excutiam faces,
Mentemquè suetam voluere turbines;
Ut Juno per pectus recursat
Plurima! dissimulem? Niphaten,
Taurumquè duris moribus induam,
Vultu Chimæram; quidquid Atrocitas
Experta per strages, probabit
In trepidis mea dextra rebus;
Per ipsa regni viscera mortui
Quæram patenti supplicio viam,
Horrescat & Cœlum, measquè
Vel timeat Rhadamanthus iras;
Sic? quanta fulsit Juno gigantibus,
In vos tonabit tanta Semiramis,
Turbent & insignes, & imi,
Sed metuant muliebre regnum:
Deliberavit tradere fœminæ
Fortuna fasces, ultima, posteri,
Sperate, regnorum catenas,
Funera, & exitium minatur.
Quò me loquendi proripuit furor?
Hæc arma Romæ prælia destinant,
Nobis opem, hanc precor sereno
Læta supercilio revisas,
Fortuna, gentem: tu Latio time,
Europa, quantus surget in Italum
Hic miles! hæc munire castra
Ad Tiberis meditatur undam:
Magnum, & Ferocem, plebs Syra, gloriæ
Si quæris hostem, i, curre ferentibus
Fatis, & Europæ trementes
Iste voret ferus ensis urbes,
Cum ponte longo subijcit Aufidus
Frontem Chaboræ, cum laticis minor

Se-

Se bethus Euphratem salutat,
Cum, Babylon, tibi Persa servit,
Pronoquè Thybris flumine Tigridi,
Paret, Niphati Gaurus, & attremit,
Quamvis & Apœnine, pugnes,
Masius imperitat Vesevo,
Tunc, desit hostis, verte tuæ precor
Manum ruinæ, te cape, Civitas,
Te vince, sic jussere fata,
Ut Babylon Babylona vincat;
Sed ipsa nunquàm Marte Semiramis
Flectetur ullo: dædala liberum
Quæ cogit in nodos capillum
Hæc manus imperium valebit
Curvare Maurorum, Assyriis moras
Fatisque nectit: riserit Æthiops,
Si Bactra cùm forent superba
Chaldaicis spolianda prædis,
Et vos parentum gutture quæritis
Fratrumquè ferrum mergere, poscitur
Quæ præda, quod regnum! cor ullus
Si patriæ petit ensis, antè
Per hæc feretur pectora, dum mihi
Venæ calenti à sanguine subrubent.
Sic fata collectos remisit
Torva sinus, chlamydemq; solvit;
Jam bella sparsi, dixit, in Africam
Portate Martem; mox siluit ferox,
Qualis refusus conticescit
Aurifera Tagus à procella:
Post hæc severùm risit, & annuit
Crudelè toto vertice, turbida
Fuditquè Reginæ per ora
Indociles levis aura crines,

Tu-

Tumultuosam sanguinis immemor
Projecit hastam dextera, civium
  Ensisquè pertæsus cruorem
    Obstupuit sine cæde victor:
It talis altum clamor in Æthera,
Qualis procellas mittit ut Æolus;
  Pectusquè devovere Marti
    Quà dominæ raperentur irà.




E fragili vitro dura veritas.

ODE VI.

IN SPECULUM

Ubi puer Liges opinione sua se turpiorem invenit.

Ad delicatos sæculi adolescentulos.



Fidele Vitrum, robur, & æs triplex,
Et majus ipsis sideribus jubar
Natura donet, nec nitorem
Pulvereus tibi tingat Auster:
Injurioso nè pede deleat
Tibi Vetustas veridicum decus,
Quod Ligis infregit furorem
Vana supercilio minantis,
Te spectet audax rumpere, fulmina
Ferire frontis te nequeunt: pia
Sic astra jusserunt, ut ausit
Vitri acies jugulare fastum,

Orig-

Orisquè tundat sola protervìam,
Quæ prompta tollit cornua in hospites,
Veloquè disrupto pudoris,
Obsequium furiosa calcat:
Flet punctus armis ille suis, nigras
Curas in imo pectoris educat,
Se culpat, evictumquè vellet
Torvus humi sepelire visum;
Quamvis & urbi contulerit diem
Dejecta languet pupula, & aërem
Odit, nec huic tellus renidet,
Flore licèt redimita surgat:
Invitet hortus, non amat in suo
Quos ore flores non reperit, genas
Rus omne monstrat indecoras,
Ludibrium putat esse risum
Telluris: horret sic stupidus, quasi
Obliviosò lumine viderit
Crinem Medusæ viperinum,
Se melius tamen ipse vidit;
Fido, sodales, in speculo Tigres
Captantur istæ, ferrea deserat
Jam vincla venator, tenetur
En fragili fera præda vitro:
Hic ille Liges, qui radios novo
Præstare Phœbo, solem oculis dare
Jactabat, en dolet, maligna
Quod nitidum premat umbra vultum.
Tempusque velox increpat, invidos
Accusat annos, & Veneris dolos,
Undamque demittens comarum
Trans humeros sine lege, clamat;
Ætatis heù quo turbine vividæ
Fluxere malarum areolis rosæ

Arma-

Armata quæ sævis procella
Grandinibus mea vota stravit?
In luce vivam? at quæ dederit manus
Redire Pulchri munera? quis mihi
Reddet me Apelles, aut amicis
Quà placeam? puerile regnum,
Et dulce formæ perdidimus; ruit
Et frontis exlex imperium, excidit
Venusta libertas genarum, &
Siderei nitor ille risûs:
Quis juniorum crederet? occidi
Damnante vitro: quo cecidit potens
En ille Liges? me ipse vito,
Nec fugio tamen ipse Ligen.
Hæc ille plorat: sed Decor, & Venus
Negant reponi: mœnia reddimus
Disiecta, non redit sed ætas
Quod semel invidiosa vexit:
Audite, molles, dedecus ultimum
Orbis, Sabæi, crinigerum pecus,
Notique Lesbini, genasquè at-
Tollite, semiviri spadones,
Crystallus en vos frangit, & integram
Mentem redonat; vos fragilis nitor
Clarat: quid à vitro superbus
Regifico tulit ore Liges,
Mox & cor illi, mox cecidit color,
Nec sic ovantis Cæsaris ad pedes
Formosa projecit meretrix
Barbaricum Cleopatra fastum:
Sic quandò monstrum penniger aspicit
Jovis satelles, defluit unguibus
Telum omne, & irrident Cyclopes
Fulmininibus vacuum Tonantem;

Sic

Sic fœditatem post ubi Regulus
Suiquè portentum in speculo videt,
Se spernit, oditquè, & feroci
Ipse suum bibit ore virus.
Jam mitte, Vitrum, fcrtuitam manùs
Timere stragem: nullus adulteræ,
Spectante te, comet capillum,
Aut struet insidias pudori,
Nec impudicis fraudibus annues,
Incontinenti nec dominæ feret
Te Lena, nec serùm jubentis
Stabis ad arbitrium puellæ,
Te nulla turpis fœmina consulet,
Non te senectus polluet halitu,
Nec crispus à rugis spadonum
Te poterit violare vultus,
Te nulla tanget vendibili Lupa
Decore dives: de Veneris tholo
Pendebis æternùm in tumoris
Perniciem, opprobriumquè fastùs



Fe-


Felix Dædali volatus.

ODE VII.

Cum in Sosiano ageret fertur à Providentia ad videndam Neapolim peste devastatam.

AD P. JO: ANTONIUM
BARBERITUM
Soc. Jesu.

Qui piceato indutus sacco pestilentia afflictis vicatim sacra ministrabat.



QUò me, Numinis assecla,
Quò, Prunea, frequens arbitra funerum,
Ignotum rapis alitem,
Pennarumquè levas remigio latus?
Me colles trepidis procùl
Terrent verticibus, fumea turbidus

Ru-

Ructat nubila Vesujus,
Et mugit populis lugubrè, sordido
Cœlum fluctuat halitu,
Phœbo teste, micat funebrè tristibus
Lux corrupta vaporibus,
Nigra in luce dies naufragus occidit,
Et submergere pallidam
Magno Parthenopen naufragio timet;
Ducis, Diva, tamèn; sequar,
Et bustum patriæ me jaciam super,
Me quamvis ululantium
Cœlo admota fugent culmina turrium,
Quamvis horrida palleat,
Ac undet tenebris, quà propero, via.
Quæ vox auribus influit?
Flet Siren liquido gutture, flexilis
Nosco vocis amabile
Murmur, nosco deæ carmen, & avias
Naves sistere callidum,
Stantes quo scopulos vexit, & inclyti
Traxit Pausilypi juga:
Plorant ad patrij fluminis ostium
Lymphis Najades æmulæ,
Sebethum lacrymis & cumulant suis;
Crateris mare vitrei
Prospecto, & pelago busta natantia,
Quo lusere priùs rates,
Quà traxi calamo squamigeros greges,
Hàc à retibus integer
Rhombus luxuriat sanguine civium,
Atquè impunè natat Scarus
Plenus naufragijs: proh lacrymabile
Fatum; quò cecidit mea,
Regni, Parthenope, tergeminum decus.
Spes

Spes pulcherrima gentium,
  Æternum Italiæ delicium suæ,
Tellus prodiga Principum,
  Regnorumque oculus, nidus & artium
Olim nobilium, sui
  Nunc tantùm tumulus, nec tumulat suos:
Hìc sub strage cadentium
  Mœstùm saxa fremunt, hinc mare non suo
Horret naufragio, procul
  Dum cautes trepidant, & Thetis increpat
Nautas: Tollite puppibus
  Pestis ludibria, & sternite prædia
Latè corporibus, parens
  Incestata parum funeribus patet
Tellus? an caveas negat?
  Sic est. ille tremit præda rapacibus
Decertata Lupis, herus
  Hìc putet canibus rixa rebellibus:
Cum desint foveæ, rogis
  Decrescunt sylvæ, flamma deest quoque
Post incendia pestium:
  Hìc currit patrium natus ad osculum,
Sed dum pendet ab osculo
  Ictus pestifero concidit halitu:
Illic durior est Scytha
  Ardet dum teneris mater amoribus;
Nam dulci necat in sinu
  Gnatam, quæ poterat fallere belluam;
Hìc amplexibus opprimit
  Servat dum tacitis ædibus hospitem;
Illic dum tumulum prope
  Formam cinnabari psaltria suscitat
Sacris subrubet ignibus;
  Quæsitisque foris sponsa coloribus

Oris

Oris dum decus, & rosam
Mentitur, tremulà candicat à lue,
Et, quo fingitur annulus,
Crinis tristè riget, formaque displicet,
Tædis sponsus alit rogum, &
Intacto pheretrum pro thalamo parat:
Hic mortem soror osculo
Propinat querulis obvia fratribus;
Illic ubera porrigit
Nutrix, an noceat nescia, parvulus
Aut potu perit, aut siti,
Materniquè luem sugit anhelitùs;
Hìc hæres avidus fugit,
Tecti, ne pereat, dum subit aërem,
Aut tangit patrimonium:
Illic solvit avo justa nepos, caret
Sed mox munere funeris;
Hìc frangit rigido sub lare spiritum,
Dum lucis vitium timet,
Securàqne luem de latebrâ bibit,
Post fatum domini, lares
Dum lugent vidui, furta timet latro:
Non furem metuunt opes:
Hic fratri immoritur frater, & ultimùm
Immugit genero socer,
Et mortis pietas morte rependitur;
Funus funere truditur,
Et fœcunda sui se geminat lues;
Unus fert populos dies;
Nec morbo medicæ proficiunt opes;
O lethi truculentior
Vel letho facies! cùm nova lacrymas
Poscant sæpè novas, carent
Conclamata suis funera lacrymis:


Haù-

Hauferunt mala palpebras,
  Ne flendi fuperent gaudia, fegnibus
Callent corda doloribus,
  Et mortis dubiis edidicit puer
Infultare timoribus,
  Stipatufquè canit plebe jacentium:
Sævo languet in otio
  Vulgus, cui labor eft intereuntium
Non calcare cadavera.
  Nec tu nobilitas faucibus avolas
Fati, quippe tuos premit
  Peftis fatiferis pallida dentibus;
Faftus quà tumuit, fui
  Plenus, mobilium ferica veftium
Quà lafcivia fluxerat,
  Implacata lues forte cadentibus
Hàc fternit plateas, Jocus
  Quà rifit lepido dente Cupidinem,
Quà Luxus nituit, vias
  Nunc Luctus lacrymis occupat, aureus
Quà fervos dominus greges
  Oftendit populo, pulvereus jacet,
Famofoquè cadaveri
  Vel defunt latebræ, fplendet at horridùm;
Non faftus, dominus perit,
  Vultu ftante cadit, vel pereuntibus
Infidunt cilijs minæ,
  Tetrum fulmen habent lumina, nobilis
Spirat fronte protervitas;
  Et quà luxuriæ fulgur in effedo
Visùs circumeuntium
  Tentavit, trepidà peftifer halitus
Nunc fpirat facie necem,
  Et facris animas pafcitur ignibus;

Vos urbi date publicas
O cives, lacrymas: occidit, occidit
Jam Fortuna Neapolis:
Libate ò lacrymas civibus, hoſpites,
Inter Parthenopen graves
Regnorùm interitùs, inter & urbium
Deplorate cadavera,
Vix tangit patriæ pectora ſpiritus:
Squalent atria principum,
Sirenum reſonant flebilè mœnia,
Templorum laquearia,
Auratiquè tholi triſtè micant, ſimul
Flent ipſi lapides, quibus
Scribat poſteritas: cum populi ſtrue
En hìc Parthenope jacet.
Sed vatem laribus reddite *Soſijs*
Alæ, quem Zephyris pares
Ultra ſidereum provehitis mare;
Jam ſat luminibus datum,
Impleviquè ſtupens pectora cladibus.
Quis me tangit amor? recens
Quæ me ſollicitat cura? quid improbus
Poſcit corda timor? meus
Sanguis, ne fugias? ò ubi gentium
Ardor prime ſodalium,
Te, mi Ruta, diù ſidera protegunt,
Tactis tu quoquè fercula,
Et prompta intrepidus pharmaca porrigis,
Noſtræ gloria patriæ,
Objectas capitis membra periculo,
Ne qui tranſiliunt luem
Magnas inter opes diſpereant fame.
O ter grandem animam, tuo
Me collo jubeas nectere brachia,

Ca-

Caro reddar amoribus
  Infusus capiti, centimanus prope
Amplecti cupio, juvat
  Inspectasse, Deus quo nimius sedet,
Vultum, lacryma labitur
  En injussa genis, quam stupor impotens
Hausit, pallida conspici
  Quam formido oculi margine presserat.



Major poſt funera riſus.

ODE VIII.

Cum eſſet Leucopetræ rapitur à Fortuna ad contemplandam liberam à Peſtilentia Parthenopam.

AD P. CAROLUM CASALICCHIUM Soc. Jeſu.

Qui eo morbo tactis, ut in tuto eſſent animæ, ubique ſtrenuam navarat operam.



Quò me, Diva potens rotæ,
Quò, Fortuna, trahis currere neſcium
Per veſtigia ſiderum?
Ah ceſſa nimiùm credula Dædalo:
En audacia devio
Decrevere mihi culmina turrium:

En


En montes procùl arduis
   Plaudunt verticibus: Vesujus aureo
Bacchi munère nobilis
   Substernit pedibus terga, fidelibus
Flammis lambere gestiens,
   Nèc spirat nebulas turbidus aspici:
Cœcis tersa vaporibus
   Connivent tremulis sidera nutibus;
En me Pegasus invocat
   Hinnitu, & genibus flexus amat premi,
Dat tergum, atquè humilis quatit
   A multo phaleras sidere divites,
Irritatquè capi. Ut juvat
   Insedisse! ferox ut secat alipes
Immensa aëris æquora;
   Et doctà nebulas dividit ungulà!
Aures quid mihi personat?
   Siren dissolvit guttura cantibus;
Illic dextra sciens lyræ
   Festivo docilem pollice barbiton
Arridere choris jubet:
   Hìc tellus pluvijs floribus innatat,
Et clamosa per atria
   Vulgò plena nitet lætitiæ seges:
Infans subsilit inscius:
   Nàm cum lacte bibit gaudia, gestiens
Matrem nectere brachijs;
   Longè fausta sonant vota, nèc abnuit
Cinctus fronte puer rosà
   Inter gemmiferas ludere virgines;
Quæ fulsere Topatijs,
   Ut Phœbi radijs sidera fulgurant:
Fumant undique fercula, &
   Bacchi mensa madet splendida nectare:

Spectο Pausilypi mare,
Et lætis juvenes fervere puppibus,
Quæ vexere cadavera:
Quà pisces avidi luxuriaverant
Membris tabe fluentibus,
Mullos, ac Elopes, delicias maris,
Fallit navita retibus:
Ut me Parthenopæ surripuit mihi
Risus sidere pulchrior!
Hìc vestita sonat circumeuntium
Pompis plurima porticus:
Jucundùm choreis plausa frequentibus,
Illic area perstrepit;
Respondent digitis trita micantibus
Gratis plectra furoribus:
Tectum laurigeris concrepat ignibus;
Tellus ebria nuptijs
In morem Salium fervet, & integro
Vitis munere tetricus
Mutatur lacrymarum imber, amabilè
Garrit tibia; flebilis
Concessit Siculis nænia cantibus:
Rident Gaudia Gratias
Interfusa; sonos aure bibit senex
Mirabundus, in Aulidem
Qui Pestis poterant vertere funera.
Ultra vel mare Ponticum
Curarum volitant agmina; mœnibus
Pallor lethifer exulat,
Et corrupta genas Lacryma, lividæ
Frontis nubibus hispidus
Trans fines Libyæ Mœror inhorruit,
Inclusus Barathro Tremor
In se funereis dentibus infremit,

Ni-

Nigro deterior die:
  Morborumque ululat terribilis cohors
Cocytum propè, lugubres
  Clamores habitant tartareum chaos,
Et Planctus Strepitùs amans:
  Sed fulget chlamydum pompa fluentium
Quà ſtravit plateas Lues;
  Luxuſquè ingenio fulgurat artium
Quà Luctus caluit; vias
  Et Faſtus bijugis occupat eſſedis
Quà Peſtis feretro ſuper
  Exanguis ſpolium Parthenopæ tulit
Victrix à grege Febrium
  Acclamata ſuper ſtrage cadentium,
Hàc ſynce[illegible] genis Salus
  Latè reg[illegible]a tenet, ridet & angulus
Omnis. Gratior evenit
  Sic vultus patriæ, credite poſteri:
Urbem clamitet integram
  Quiſquis tecta fugax deſervit Lupis
Conculcanda rapacibus,
  Et vaſtanda feris ſtrata leonibus;
Ut Pardi colerent Larem,
  Auro conſpicua ut ſtragula textili
Hyrcanæ premerent Tigres,
  Inſultaret atrox Urſa cubilibus:
Inter Parthenopen novos
  Ortùs nobilium computet urbium;
Spirat patria lætiùs,
  Spondet fauſta ſuis ſæcula civibus;
Rident cœliferæ domùs,
  Ipſas umbra tegit ſplendida porticus;
Omnes dulcè nitent viæ,
  Ut te ſubſtineant, Carole, ſoſpitem;

Caro me, fine, brachia
  Dem collo, & capiti partiar oscula;
Longùm & vive clientibus.
  Sed me Leucopetræ reddite finibus,
Pennæ non mihi debitæ,
  Ne fiam Icariâ fabula notior.




Co-

Comatus in pudicitiam Cometes.

ODE IX.

In latè fluentem Lollij capillum Carmen paraneticum.

Ad nutrientes comam adolescentes.



QUalis cometes ventilat igneos
Crines per auras, nullibi gentium
Impunè visus, hìc ruinis
Nubiferas sepelire turres,
Et flenda crebris sæcula cladibus,
Novasquè multa cæde tragædias
Promittit excire, aut ovantes
Succutere insidiosus urbes,
Pubentis illic germina Liberi,
Telluris almo vel Cererem in sinu
Necare lactentem minatur;
Aut patrijs ubi surgit arvis

Adulta messis, prædia devorat
Flammæ veneno, cauda nitentium
Dum spargit astrorum catervis
Signa feræ metuenda stragis;
Lollì capillus fulgurat aureùm,
Miscet sed aurum castaneæ nitor,
Læves per autumnum paternis
Cum balani cecidere sylvis;
Cùr dextra crines torquet in Aspides?
Heù quot momordit par colubris coma;
Et quot per undantes capillos
Naufragium subiere mentes;
Sic bellicosum sparsa fluentium
Moles capillorum ingenium premit,
Mentisquè fervorem perenni
Diluvie domitare gestit?
Quid litigas sub judice vitreo?
Caputquè rastro scindis eburneo?
Non gignit hæc tellus odores,
Non Tyriorum, Arabumque messes
Tantùm ferarum prodiga, pabulum
Submittit; altas mitte comantium
Arare camporum novales;
Nulla Ceres tibi crescet aruis.
Injuriosum dissipat integros
Tempus capillos: damna cadentium
Plerumquè senserunt comarum
Qui nimium coluere crinem:
Et sæpè sævo ut rixa calet joco
Per hospitalis munera Liberi,
Sinistra dum pugnis lacessit,
Dextra comas inimica vellit:
Fortiquè cirris implicitis manu
Quin tailes hostis sævit in impetum


secu-

Securus, utvè illum cruentet,
Visibus involitat capillus.
Quis Absalonem nesciat, aurei
Fatumquè crinis, qui pretiosior
Gemmis ferebatur per aulas,
Omne decus superante citro:
Lato nitentes sæpè rependerant
Auro capillos Isacidum nurùs,
Nec ferre adoptivos decori
Principis erubuere crines:
Nec insitivam numinibus quoquè
Gestare magnis displicuit comam;
Nempè Absalonis; tùm Tonantis,
Tum radiantis imago Phœbi
Sæpè Absalonis crine superbior
Idololatris templa repleverant
Emancipata: sed Gradivi
Sensit ubi galeata pondus
Frons perduellis, sueta Cupidinis
Vix ferre bellum, fugit ab hosticæ
Phalangis aspectu, comasquè
Jàm dederat lacerare ventis;
Quercus dolosis pendula brachijs
Latè volantes arripuit comas,
Vector per insuetas viarum
Præcipitat sine lege frœni,
Crine ipse pendet, calcibus aëra
Flagellat, & frustrà excutit horridus
Ter vincla, funestum decorè
Profluvium laniante dextra
Comantis auri: miles in impia
Mergit furentem pectora lanceam,
Flet ipse, & indignante carpi
Sic animam evomuit sub aurà.

Pendens capillo thesaurus.

ODE X.

AD D. MICHAELEM DE MORRA



Quis gazas Arabum, quis celebret Mygdonias opes?
Textricis Batavæ splendida quis licia conferat
Cirris, ò Michael, quæ niveo margine defluunt
Colli hinc inde tui, dum saliunt gurgite verticis?
Ut tangit roseas unda genas aurea! lucidùm
Vibrat, mox humeris imperitat, fulvus ut emicat
Eurotæ fluvius, currere trans littora gestiens:
Si gemmis decores, Chrysolithis tunc nova gratia
Crescit, cæsaries clarius ut consociat jubar.
Crines post abeant, quos polijt mater Achilleo?
Cincinni lateant, quos zephyris fundere tradidit
Suevus Rex equitans; in latebris sceplasiæ nitens
Unguentum pereat; si liquidis nullus odoribus
Tu crines satures, sponte sua semper olent Rosam:
Sacram, Nise, comam, quæ simulat fulgida purpurã,
Occultare potes sub tenebris, maxima pendeant
Cirris regna tuis, nostra valet pluris, & improba
Si te, Scylla, patrem prodidit, ut sceptra rubentibus
Mi-

Minos vincta comis arriperet, falleret arbitrum
Nunc Minoa, comas quæreret has, conjugis insulã
Pensura, illa foret Creta tamen, crinis hic aureus;
Has dextrà nè comas tergeminà Gratia pexuit,
Afflavitquè decus? dimidios an tibi Cynthius
Transfudit radios prodigus, & divitis addidit
Thesaurum capitis? tecum oriens dividat ut diem?
Intonsi Zephyrus tèr licèt exolvat Apollinis
Plenam cæsariem; quam variet sedula pectine
Vel Diana suo, mox tenero pollice in annulos
Aurora implicet, omnemquè diem crinibus illiget:
Primo Sole tua est, nè renuas, splendidior coma:
Poscat pexa diem, mox dabitur: sic placitum Jovi:
Mutatisque sibi nil timeant prædia solibus;
Trito namquè oculis cuncta beas Sole benigniùs.
Quò quò, Musa, feror? quò lyrici dius Apollinis
Æstus me rapuit? laudibus ad sidera proveho,
Pendet quod facili crine, decus: proh decoris pudor!
Cur sordes miseri suspicimus, quas caput egerit?
Vile est forma bonum. Si subitus diffugiat decor,
Nil mirum, Boreà dùm quatitur crinis, & avolat:
Quẽ si dextra sciens aureolos torquet in annulos;
Vel flexu colubros si simulat, gratiùs enitet;
Et sub fronte tamèn serpit uti vipera; scilicèt
Mordet forma: time, ne feriat sæviùs Aspide.





LIBER IV.

Natalem deserat urbem,
Qui patriæ cupit
esse decus.

ODE I.

AD D. FRANCISCUM MOLES Regiæ Cameræ in Regno Neapolitano præsidem.

Cum is Bario, ubi universæ erat provinciæ moderator, Mediolanum generalis togatorum ordinum inspector proficisceretur.

Neminem in patria insignem fieri.



Fortuna, Moles, desidet in solo
Clientis; audax arma per, & faces,
Per monstra, & Alcidæ labores
Se laceret sine voce Virtus,

Si

Si non avito limine cesserit,
Obscura gessit: gloria quæritur
A rure nequicquàm paterno;
Terra recens ubi mittit aurum
Communè fulget, fingere sarcula
Languescit aptum; si pelagi fidem
Mercator irritans phaselo
Sepositis vocat illud Indis,
Ut nostra tangit littora, fulgurat
Thesaurus; efflat quos Syriæ sinus
Calcantur à brutis odores;
Hìc Syrio calet ara fumo:
Phœnix ab ipso funere nascitur,
Suiquè proles inter & alitum
Mox vulgus ignotæ pererrat
Sortis aves, reducesquè jactat
Neglecta pennas, nempe colit larem
Æternus ales, nec patrium fugit
Cubile, natalesque sylvas
Attalicà redivivus aulà
Non mutat, altum vestiat aureo
Collum monili, vertice plumeum
Stet sidus, & pennata circum
Cæruleas rosa vernet alas,
Invisus errat, dum patriæ tenet
Nidos: resistat seu furor invidus,
Cælive sic jubentis astrum,
Nemo colit sua tecta vates.
Heros Columbus testis: Ibericis,
Dixit, columnas navibus Hercules
Vilem refixit metam, & Orbe
Hoc melior peregrinus Orbis
Jacet, sodales, nemo paventibus
Amica spargens littora lacrymis

Sul-

Sulcare formidet premenda
Oceani vada fabulosi:
En regna nobis ditia destinat,
Et pulchriorem, me duce, patriam
Fortuna, promittit sub astro
Intrepidos meliore portùs;
Hìc terra gemmis plurima pullulat,
Florent Smaragdis prata virentibus,
Interque gemmantes pruinas
Flat placidos Amethystus ignes:
Calcatur auri glarea, quæ manu
Tuta renidet pleniùs accipi,
Corallijs intexta sæpes
Dextram hilares vocat ad rapinas:
Voluunt arenas flumina lucidas,
Dum ripa vernat fœta Topatijs,
Vndamquè si frangit rebellis
Vnda, nitent adamante spumæ:
Ne nubibus vos turbidus arceat
Aut fronte sparsus fluctibus Africus,
Ut ditet undantes carinas
Tollit hyems pretiosa fluctùs;
Et pontus ira divite despuit
Stragem unionum; fulgida roscidum
Nubes in argentum liquescit,
Fulminibus reserata rupes
Prodit Pyropos, aut vomit aurea
Fluenta: non à turbine lividus
Aër minatur florulentas
Areolas lacerare nimbis;
Hyems propinquet, prodigus ilicet
Gemmarum Olympus grandine fulgurat,
Et rubra quicquid Tethys abdit,
Quicquid Athos removet sub auras:

Dif-

Diffulminatus, deijcit unico
In imbre Cœlum; littore nascitur
Quocumque margarita vulgò,
Et quasi gemma gregalis inter
Sordet lapillos lumine perlitos
Flagrantiori; lubricus humidum
Si sudat aër, in nitentes
Gutta migrat radiosa gemmas:
Non alba sordes sugere splendidas
Ibi supellex cogitur, aut manu
Quater coloratum magistrà
Luna bibit sitibunda virus,
Sed innocenti tonsile dexterà
Campis vagatur purpureum pecus,
Florent vel argento, vel auro
Cornua celsa gregis beati:
Vos turba nugis credula divite
Prensatis auri germina somnio,
Et dextera mendace pomis
Hesperidum spoliatis hortos,
Vos dulcis haustu carminis, aurei
Mendica lactat fabula velleris,
Ignara pubes, cui ter amplis
Auriferum pecus errat Indis:
Eamus, Eos candida nos monet,
Et spargit undas flore volubiles,
Floresquè calcantes, & undas
Gemmiferum inveniamus Orbem;
Eamus, Eurus carbasa provocat,
Et prosper undas increpat Africus,
Et stare nolentes carinas
Aura petit volitantis Austri,
Protervus Auster serviet, & dabunt
Benigna Sortem sidera remigem,

Sur-

Surgamus, & proras hiantes
Merce novi satiemus Orbis:
Hæc dona vestris subijcit unguibus
Cœlum secundi sideris omine.
En astra connivent amicùm
Lucifero rediviva vultu:
Hæc dum Columbus fulminat, arrigit
Aures Ibero turgida milite
Classis, recusantesquè portùs
Otia ter strepuere naves:
Dedit Columbus vela Favonio,
Novosquè Iberi mox cameræ Jovis
Adjecit Orbes, hinc Columbum
Fama, fidesquè ferunt ad astra.
Francisce, fortis rumor inhorruit,
Quod efficaci Curia posceret
Te nuper Insubris precatu,
I celer, atquè toga parentis
Major redibis: vir lateri datus
Regis, superbam Parthenopæ Regens
Sedebis in tuto coronam
Jura ferens speciosa regno.



Na-

Natum in gloriam Hispanæ gentis sidus.

ODE II.

IN D. JOANNEM AUSTRIACUM.

Post ab Hispanis compositos ejus ductu, imperio, auspicioquè Neapolitanos tumultùs anno à partu Virginis MDCXLVII.

AD PP. HISPANOS SOC. JESU.



ALumna regum, prodiga principum
Parens virorum, magna potentium
Regina regnorum, atquè mundum
Nata vago superare bello
Hispana Tellus surgit in improbum
Se major hostem, splendida dexteram
Exarmat invictam cruento
Si pietas sine Marte victrix.

Te

Te teſtor, heros, Auſtriadum decus,
Tuæ, Ioannes, ſidus Iberiæ,
Qui mente, juſſuquè, & decoro
Arma fugas inimica vultu:
Te ſenſit Erni, te Salis accola,
Sarniquè crudus potor, & ultimi
Quicunquè Vulturni feraces
Siccus init bibiturus undas,
Senſitquè Iberi non patiens jugi
Lucanus exlex, ſenſit & Appulus,
Senſere Samnites protervi,
Et genij malè pertinaces:
Et te vocavit murmure ſupplicis
Sebethus undæ, geſtat & in ſinu
Te blanda Siren, dulce plectrum,
Et cytharam ſua tangit arma;
Tui ſub ortum ſideris occidit
Ut illa tempeſtas, canere occupat,
Ut claſſe te vectum feroci
Francigeræ timuere Pinus:
Ut Martis ardor tot popularibus
Jactatus auris te ſtetit auſpice;
Ut dixit hæc plebi citatus
Indomito Maſanellus æſtro:
Atlante qualis cælifero ruit
Leæna contra lanigerum pecus,
Hoc ungue diſcerpit, ſed illi
Multa ſupercilio minatur:
Hæc mergit altis arva cruoribus,
Faſtu illa terret: ſanguine roſcida
Dum cauda latè linquit aruis
Signa feræ metuenda cladis:
Nos molle vulgus ſic vovet enſibus
Hiſpana pubes; frigida torpuit


En ſica plebis: quò feruntur
Præcipiti mea vota fato?
Magnumnè ducet Cynthius in rota
Diem citata, cùm dederit Polus,
Externa ne plebis decoro
Sanguine luxurientur arma?
Gens bellicoſæ nuper Iberiæ
Eveḉta magnis littoribus plagas
Sirenis inceſtavit atris
Funeribus: petis; illa vincit,
Contagionem frangere pertinax,
Crudeliorem callida perpeti
Famemquè; bellumquè, & receptas
Mente ferox reparare clades:
Nos delicatos neḉtare milites
Cælum educavit, bella cohortibus
Sardis relinquamus, lyraſquè &
Pleḉtra gerat, ſua tela, Siren:
Canora, Galli, nomina quid ferant,
Nihil laboro: frœnigerum pudet
Pugnacis examen juventæ
E Ligeris petiiſſe ripâ:
Vel voce Martem ſollicitent, rudes
Mentes vel arment ſeditionibus,
Nil proderunt, Fortuna plebis
Intrepidos hebetavit enſes:
Ah nuncios non, non ego ſplendidos
Mittam Toloſæ: neſcius atteri
Regnabit Hiſpanus, magiſtrà
Arte ſagax iterare pugnas:
En ille frœnos indocilis pati
Ferocientis Parthenopes equus
Quò ceſſit! ò pudor, feroci
Qui bibit ut procùl aure bellum,

Di-

Diverberato calcibus aëre
Spiravit ignes naribus, efferus
Tangi, reluctantes per urbem
Discit iners glomerare gressùs!
Audire calcar? ferre nè sibila
Virgæ valebit? lora jubentia
Sic turpat indignante spumà,
Frœnaque sanguinolenta mordet?
Et pertinaci suscitat ungulà
Flammas latentes marmore, Ibericas
Qui fudit hinnitu phalanges
Per medios animosus ignes?
I Martiali celsior indole,
Hispane, regnis regna prioribus
Annecte, formidata utriquè
Arma frequens gere victor Orbi,
Quicunque mundi restitit angulus,
Hunc frange; ferro judice, milites
Ignota decernant an ullos
Regna velint tolerare reges.
Latè timendum nomen in alterum
Dispergat Orbem classis, & Herculis
Rumpat columnas, quà beata
Malabaris secat Indus arva:
Eat, secundo naviget alite,
Natura rerum prodiga tertium
Jàm navibus molitur Orbem,
Ne populos superare cesset.
Periculorum nos satis hausimus,
Et sanguinis, Mars ipse perhorruit
Cadaver urbis; quid tenacem
Imperij removemus hostem?
Horret nigrorum vix memor ignium
Mens infideles voluere turbines

As-

Aſſueta, dum ſpectat pudendos
In cineres abijſſe flammas:
Nil reſtat aſtris: nos ſuper Ilias
Pluit malorum, & viximus: hoſtibus
Cedemus ultrò; ſi cruori,
Qui ſupereſt, Libitina parcat.
Hæc noſter uno Spartacus halitu,
Ridente dixit Tiſiphone; faces
Megæra projecit minaces,
Et dubio Furor hæſit enſe:
Ut te, ò Joannes, vidit, acinacem
Victus remiſit: reddite mœnia
Jàm, dixit, Hiſpano, revertat,
Regnet, io, ſine cæde victor.




Lapis Nabuchodonoſoricæ ſtatuæ everſor.

ODE III.

In fragmen ſcopuli, quod Draguttum, ejuſque machinamenta ſtravit.

AD F. JOANNEM CARAVITAM Equitem Hieroſolymitanum apud Inn. XI. Pont. Max. Oratorem. Teſtamentũ famoſi piratę, qui in cõſpectu Melitæ Urbis, quam premebat obſidione, cecidit.



CInxerat Odryſijs Melitenſia mœnia caſtris
  Draguttus; Colubrina boatu
Dum tonat horriſono, ſubtexit & Æthera fumo,
  Dùm ſepelit nox advena Solem,
Turbato ſimilis Cœlo ferus ægide vultum,
  Exerit, & ſic fulminat ore:

Vos, ò vos, mea cura, Getæ, mea Gloria, Thraca
Obtestor per numina Martis,
Jura, fidemquè, laresquè uno prosternite bello;
Victrices extendite dextras,
Ipsa regent Furiæ Melitæ per viscera ferrum;
Omne nefas sibi victor habebit.
Non superos, non astra vocat, sed poscit opimo
Dirarum, Eumenidumque favores,
Et Stygij vocat imperij, sua numina, Reges,
Ut pateat locus improbus umbris:
Pergit at insanà dum voce lacessere Cælum,
En scopuli pila ferrea dorsum
Percutit, excisi fragmen memorabile saxi
Dragutto ferit ossa tyranno,
Concidit, inque sua revolutus tabe momordit
Tellurem, ut caperet moriturum;
Erexit rursùs caput, & connixus in hastam
Implevit tèr sanguine dextram;
Hoc, ait, aspergo lustrali fonte Gelonum,
Italicas si torreat urbes,
Hæc ferat Italiæ mea sanguinis unda procellam,
Quæ regni fastigia mergat;
Ast age barbarico quo corpora Mausoleo,
Ac animi sine pace relinquam?
Detestata negat lævum mihi sidera numen,
In terris ego templa recuso:
Me Melite suprà ruat alto à culmine, tantum
Par est me celare sepulchrum; at
Si gremio excutiat vindex mea funera Tellus,
Ruptæ ultrix infesta quietis;
O socij, terramquè levem, pacemq; sepulchri
Ne donatè mihi, maris æstus.
Corpus agat præceps, eat hæc in turbine navis,
Aut in tempestate, quiescet.

Proh

Proh fera barbaries? vulgaris munera ſaxi
  Non potiar? qua ſede reponam
Fortunæ nigra buſta meæ? ſi miles ab Orbe
  Me removet, ſi numen ab aſtris;
Ipſe mihi patet Orcus; amat me Pluto; feroci
  Hæc genio patet aula: ſed unà
Hoc rapite, ò Furiæ, pectus, gremioquè fovete,
  Ut vitam inſpiretis alumno:
Do Furijs galeam, do nigris ignibus artùs,
  Do cineres Aquilonibus, arma
Dono Tartareo necibus ſatiata Furori,
  Dura habeat Diſcordia pugnas,
Dis formidati hanc teneat ſibi corporis umbram,
  Ut poſſit terrere Tonantem:
Ah procùl erravi: mea corrige vota, Satelles,
  Linquo Pacis dedecus Orbi:
Mecum bella fero genialia bella per umbras;
  Ne mecum, Fortuna, venito:
Inferiora meo novi tua numina ferro;
  Falle tuum, Dea mobilis, Orbem:
Quò penetrat ſecum Draguttus prælia ducit,
  Læſa tibi tua jura redono:
Si totus moriar, prolem ſi triſte parentis
  Fata trahant poſt funus; adopto
Tres mihi digrediens Furias: hic plorat, & ore
  Lugendi ſtat cruda voluptas;
Tertia vix cecidit truculento lacryma vultu,
  Et pietatem preſſit: abactis
Terror ineſt lacrymis: mox ſævùm ridet, & Æthrá,
  Ac errantia ſidera culpat.
Intereà hortatrix pugnæ tuba vulnerat aures;
  Quis me, dixit, mittat in hoſtes,
Ah me dira quies torquet? negat invidus Æther:
  Ipſa faces jactabit Enyo;

Vincat ut ignavam, Dragutto provida, noctem,
Ipsa mihi monstraverit hostem,
Ter ferit obliquo lethalia vulnera visu:
Ter surgens inimica minaci
Astra supercilio terret; nunc proijcit ensem
Fatiferum; nunc arguit hastam,
Cur non dilaceret Melitam furibunda, sed arma
Grande jubet deponere vulnus:
Quæ, clamat, quæ dura vident me sidera? filum
Cur metuit diffringere Clotho?
Dispeream: cordi sed Martius ingruit horror.
Si morientem bella reposcunt;
Attonitus Phlegeton Geticâ turbabitur hastâ,
Ah cedat de corpore, cedat
Hic animus, pugnam at Melitēsibus inferat umbris,
Me Rhadamanthus sentiat hostem;
Ditis ero, si bella parat properare Tonanti;
Dux adero suadere furorem
Manibus, efficiamquè umbrarum examina Martis
Ut possint tolerare labores:
Mars ero ubique tuus, Plutonis prælia miles,
Et Furias hoc ense præibo,
Ne soboles desit bello, mihi nubat Erinnys:
Sed, Furor ò Hymenæe, memento,
Ut nostras Melite furias horrescere possit,
Sit conjux fœcunda malorum:
Pluto, aras spoliare velis, cupiasquè Latinis
Vel templis indicere bellum:
Ponam castra ferox invisi ad Tybridis undam:
Post fatum me Roma tremiscat.
Si victæ faveat Romæ, Cœlum quoque: magnus
E Cœlo placet hoste triumphus.
Quæ speciosa meam lactant deliria mentem?
Ah morior? proh numinis error!

Sic

Sic placet, ò Superi, in medijs tumulare trophæis;
Hanc animam? proh crimen Olympi!
Linquite me, Stygias feror expectatus ad undas;
Vos, virtus mea posthuma, Thraces,
Obruite in templo numen, templo addite flāmas;
His radient ex ignibus aræ:
Primus at incipiat nostris ex ossibus ignis,
Pulla meum quæ flamma cadaver
Incendit, classes Melitenses urat, & arua
Illa voret, rapiatquè Megæra
Ex illa furiosa faces, quibus astra, polumque
Obscuret, quibus incitet Orbem:
Post ubi ad excidium trepidas stimulaverit urbes,
Spirat ubi gens effera bellum:
His quoq; me facibus socias comitetur ad umbras;
Hoc niteat de lumine funus.
Ast ubi mors menti tenebrosis involat alis,
Vincit iners ubi corpora torpor,
Ore cupit violare diem, sese incitat, hastam
Impresso ter dente cruentat,
Testatus rabidum concusso crine dolorem;
Et dixit mox nubilus irà;
Ah dolor ossa ferit! mihi pandite viscera ferro,
Et mea tandem impellite fata.
Cur hæret mea vita diu? indulgete mori me;
Ne fugiat de pectoris arce,
Exeat hic animus, tibi sed, Chaldæe, minetur;
Dum securus abire laborat.
Ferte mihi, Ausonijs fumet qui cædibus, ensem,
His moriar contentus ab armis:
Hæc ubi dicta dedit, rapuit pius armiger hastam.
Ac Draguttum expunxit ab Orbe:
Concidit, at vulnus dum spectat, ridet amarùm
Hoc fruitur quoque sanguinis haustu:

Sic mutaturus trepidantia regna Cometes
Innocuis turbatur ab astris;
Quamvis Eumenides piratæ funera narrent
Attonitus lætabitur Orbis:
Vivit in extincto violenta protervia vultu,
Intentans quasi fulmina nimbus:
Sævitiemquè,odiumque nigro pallore fatetur;
Exanimis quoquè bella minatur:
Ferrea lux oculis, efflat de naribus ignem,
Ira, Minæque, & Terror in atrà
Nube supercilij resident: post funeris umbram
Draguttus quoquè,Plaudite Fato.
Exequijs studiosa faces præstabit Erinnys
Et Plutonis limina Taxo
Lætifico sparget, Dragutti dira profundo
Pro Furia datur umbra barathro.
Barbarus occubuit Cæli Draguttus ab ictu,
Abjectis Scytha mœret in hastis,
Dum Melite armipotens latè dominatur in undis
Odrysijs infesta carinis,
Consilio, Caravita, tuo metuenda per Orbem,
Eloquio venerata per Urbem;
Dùm tu pontificum splendes orator ad aulam,
Et patriæ tibi gloria crescit.



Apol-

Apollo buccinator,

ODE IV.

AD PARTHENOPEJOS EQUITES

CUM ANDREAS MARIA CARACCIOLUS

Marchio Torecusiensium armatam è Regno pubem Gothalaniam traijceret.



ERipe te tibi, Parthenope, Torecusius heros,
Alumnus ille Palladis,
Martis & ille nepos
Tyrrhenas animat turmis victricibus undas,
Et Martiali spiritu
Lintea plena volant,
Mersa equitum luxu virtus tua torpet? amicâ
Sic te revinxit compede
Insidiosa Venus?

Parthenope & laqueos non sentit, deliciarum
Sopita philtris! proh pudor!
Excute fronte probrum,
Dedignare pati, Italiæ regina, catenas,
Blandè domantis otij
Exue Diva jugum,
Pro speculi splendore nitor tibi rideat ensis,
Comas nec aura ventilet,
Bellica pluma premat,
Indue tergeminum raro pro pectine scutum,
Ferire disce pectora
Non oculo, at gladio;
Quò cessere duces, Europæ fulmina? languet
Divisit ense gentibus
Quæ modò regna manus?
Integra luxuriæ culpà malè carpitur ætas,
Thraciquè dudum debita
Frontibus ira cadit;
Scilicet evicit Martem Venus, aurea ferreum,
Bellona cessit Gratijs,
Victus Amore Furor:
Ah plures hominum lasciva licentia vicit
Et hoste, & armis ocyus;
Nanque Cupido suum
Imis ut ferrum demergat sensibus, armat
Dulci veneno, & amabili
Tela calore coquit,
Belligero pugnat risu, tamen arma trisulco
Potentiora fulmine, &
Ictus, & ira placent
Donec hiat gratum, nulli medicabile, vulnus:
Sententiarum nobilis
Claudius ille Nero

Ti-

Tiberius teſtis, quem toto reddidit Orbe
Notum inſolens infamia,
Dum fugit ad Capreas
Laſcivi caper ipſe gregis dux factus in antro
Ipſis pudendam ſolibus
Exhibuit Venerem,
Cui fera depoſitis Germania plauſerat armis
Victoriarum gratià,
Qui generoſa ferox
Victor inauratà decorarat tempora Lauro
Vectus triumphali rota,
Concidit ante merum
Qui modò fumantes hoſtilis ſanguinis hauſtùs
Optarat iris ebrius,
Luſit & aura genis,
Quas Bellona truci durarat caſſide, vultum,
Qui Martis arſit ignibus,
Cypridos ardor edit,
Armorum fulgur qui contudit, errat inermi
Splendore captus pupulæ,
Prodigioſus amor
Devorat occultis, velut ignis, membra ruinis;
Abſcede de ſpecu, Nero,
Subtrahe te gancis,
Fœda cupidinei diſrumpe volumina nexùs,
Præpoſteræ libidinis
Monſtra nefanda fuge,
Inſanit deluſùs amor ſine viribus, iſte
Effœtus eſt jam corporis
Luxurioſus ager?
Cur torpet ſterilis ſuetis ſine cædibus enſis?
Decuſſit arce pectoris
Quis tua bella furor?

Ille ſuper duris ſomnum libare pruinis
Jactator, altum, condito
Enſe, cubile premit?
Ille trahit vigiles Veneris ſub nomine noctes,
Sub nocte ſuetus Martia
Cingere fraude nemus,
Qui gladij ſævos cupijt ſpectare nitores,
Frontis ne ſplendor faſcinat,
Frangit & illi animum?
Quid juvat inieciſſe ſuperbis urbibus ignes,
Si te jocoſæ macerat
Flamma beata Deæ,
Turbida qui multi tuleras incendia belli,
Magni & ruinis imperi
Integer abſtiteras:
Viciſti objecto Germanum pectore Martem,
At nunc volutat in ſinu
Te puer Idalius,
Te furiat rabioſus amor ſine fine, ſed antro
Quæ nunc inumbras crimina,
Fama ſonora feret
Tecta per Italiæ, per Romæ caſtra, per arces,
Per angiportus urbium,
Et trivia ipſa ſuper;
Trans vada Danubij, trans ripas Albis, & ultra
Profunda Rheni, & Viſtulæ
Flumina turpis eris,
Damnabit tibi victa tuos & Rhætia mores,
Pudibunda, quòd felicior
Se fuit illa Venus.
Quæ victrix pede colla premit faſtoſa Neronis,
Et gloriæ quondam ſeges
Te ſciet Illyricum,

Gen-

Gentis & elapsæ percurras sæcula, famæ
Tam prostitutæ principem
Non tenet ulla dies.




Heraclius lapis.

PURPURATI PATRIS
SFORTIÆ PALLAVICINI

ODE V.

IN CONC. TRIDENTINI HISTORIAM

Ubi notitiarum, & rationum attritu proditur, quantum amari habeat Suavis, & ejus codici quantum insit aureæ veritatis.



O Vaticanæ, *Sfortia*, Gloriæ
Facunde vindex, ó patriæ decus,
Ostriquè, nascentisquè seró
Per nebulas, per operta fraudum
Alumne Veri; Belga volumini
Plausit ter amplo, plausit Iberiæ
Tellus, & immortalè plausit
Depositis Alemannus armis;

Echo

Echo disertis Itala reddidit
Amica septem verba Trionibus,
  Immanis auditusquè Daco,
    Æthiopiquè, Araboquè plausus;
Plausit feroci murmure Gallia,
Latè Polonus plausit, ut audijt
  Plausum Polanus, hoc amicis
    Attonito dedit ore carmen;
Fausto fefelli codice sæculum,
Meoque felix crimine distuli
  Nomen per Europam, supraque
    Herodoti, Periclisquè fulgur
Et clarus æquè, & Pontificalibus
Timendus aulis, currere pertinax
  Marique, terraquè in remotas
    Ore sonos jaculatus urbes;
Altè eminentem subdolus altero
Colore amavi tingere purpuram,
  Splendore ne suo sequaces
    Sic oculos hebetaret Urbis:
Ter Tulliano fulmine fortiùs,
Hortensiano blandiùs organo
  Canorus irrepsi severis
    Sensibus, ingenioquè dexter
Inebriavi pectora principum
Dulci veneno fraudis, & eloquì
  Torrente mordacis Tridenti
    Concilium, historiamque traxi
Quò verba mendax spiritus impulit,
Dolos honestis vocibus indui, &
  Portenta adornavi Loquelæ
    Cyclade, Rhetoricæquè cultu; at
Mendaciorum scena nitentium
Vestris aperta est, sæcula posteris,

Fa-

Facunda dùm toto vibravit
Fulgura Pallavicinus Orbe;
Ut Verum ab imo ferreus effodit?
Ut nudat aſtùs, utquè acie ſtÿli
Felicis obſiſtit, ſeverus
Magnificas jugulare technas?
Romana vultum Relligio ſuum
Oſtendit Orbi, Sfortia nobili
De fraude Polani triumphat,
Ipſa fides Tiberina ripis.
Inſultat Iſtri, vos decus inclytum,
Siletis altùm! en ille volumine
Sparſo per Europam, fugaci
Indomitos bibit aure plausùs;
Dum noſtra nigro condita ſtamine
Fallaciarum tela retexitur,
Vos ſegne vulgus vel ſtupetis,
Vel vacuo ſtrepitis tumultu.
Adſunt Cherintus, Fauſtus, & Arrius
Orbem revolvens ſacrilega manu,
Et Tatianus, cui maligno
Tartareus ſedet ore livor,
Addicta nullis pectora legibus
Ferens Bucerus, ſtat genio Ferus
Molli, & venenato redundat
Ore nefas, odiumque Martis,
Riſuque vafris rebus idoneo
Viclephus, Oecolampadius, genas
Qui monſtrat à Baccho flagrantes,
Et Caroloſtadius ſecuris
Merens trecenis ictibus atteri,
Terna premendus compede Veſtphalus,
Quem ponè mentitæ pudendus
Stat fidei reus Oſiander,

Hinc

Hinc fœta Faustus pectora fraudibus,
Libidinosa de rabie satus
Forsterus hinc portat cruentis
Ex oculis animam enatantem,
Centum sed illinc debita restibus
Cervix Valentini eminet arduùm,
Lupoque cognatus per Ursæ
Cerdo feras metundus urbes.
Apollinaris callidus eloqui,
Et dignus ira fulminis Eutiches,
Et Burrhus exlex, & procaces
Acephali, sine mente vulgus;
Hæc digna fumo tingi Acherontio
Vidit Suavis post ubi nomina
Amarulentus, grande famæ
Sollicito scidit ungue vulnus,
Et dixit; atræ cedite belluæ,
Mostris scatentem turpibus Hæresim
Aversor; erravi, micanti
Sed calamo jacet ictus error.



Hu-

Fluxæ proſcriptio vitæ

ODE VI.

In corruptum delicijs, luxuquè ſæculum

AD F. CAROLUM SPINELLUM
Equitem Hieroſolymitanum.

Poſt generosè poſitum non ſine victorijs militiæ maritimæ rudimentum.



IAm pauca feſſis hoſpita navibus
Moles relinquent littora: ſpernimus
Telluris aſpectum benignæ,
Atquè freto novus inſtat Orbis:
In turbulentis fluctibus extruit
Luxus fugaces delicias, eant
Ut ocyùs, ritu fluenti,
Quod rapido lavit arua curſu:
Adinſtar urbis parietibus domos
Fulcimus: ac ſi debita tenderet

Ad

Ad astra civis, nec trisulca
Finitimi timet arma Cœli:
Nec id satis, ni magna trementibus
Spectemus undis nare palatia,
Ni Glaucus occurrat Napæis,
Cymothoe nisi Faunus erret
Immixtus: Afris Bacchus odoribus
Perfusus ardet: nix venit Alpibus
Vitis fatigatúra nectar,
Nec bibitur nisi Liber alget;
Ut lympha lætis fontibus exilit!
Cursu ut loquaci visitat hortulos!
Largè sitim pressura, siccæ
Sole simul caluere fauces:
At nos amamus vertere montium
Pœnas in oris delicias, Thetis
Dum stricta sorbetur nivosis
Compedibus; peregrina miscens
Nostri liquores Orbis aromata,
Fontana multis unda saporibus
Adulteratur, mox calore
Invidiam paritura Baccho:
Ut messe campus fluctuat aurea!
Ut poma collis dulcia parturit!
In valle quot floret decoris
Germinibus redimita tellus?
At blanda succo frangimus aspero,
Sparso domamus tristia sacchar,
Dapes ut exurdent palatum,
Ingenuos violare sensùs
Luxu coactæ: quot patrimonia
Traxere fauces? quid stomacho Ligur
Reliquit intactum? dapes jam
Saccharea sine dote spernit.

Et gaudet artis ludibrio gulam
Faſtidioſam fallere, callidus,
Laſſata ſit quamvis voluptas,
Ingenio reparare cœnas:
Torquet polentas & pipere, & croco,
Et cinnamomis urit edulia, &,
Ut guttur ardorem retundat,
Vina diu glaciata poſcit;
Anceps voluptas perditur, anxium
Nec ſcit palatum ſplendidioribus
Cui plaudat in menſis ſapori;
Terræ adeo nihil eſca debet.
Ut manè ſurgit, pectine verticem
Auri feracem fingere geſtiens,
Per colla cyprinis fragrantes
Pulveribus quatit ore crines;
Dum veſtis undat ſerica, plurimo
Flammans lapillo, fibula calceos
Gemmata dum mordet, machæræ
Aſſimulat capulo Leonem,
Et nutrit imo corde cuniculos;
Illuſa gemmis lancea fulgurat,
Virtuſque ſordet Martialis,
Vita ſuis malè pugnat armis:
Incenſus auro balteus emicat,
Jacetquè pejor ſtipite ſpiritus:
Audite me vatem, feroces
In ſpeciem populi, tonantem:
Non his juventus delicijs fluens
Fœdavit æquor ſanguine barbaro,
Iſſo ſub enſe nec cruore
Judaicæ tepuere brumæ,
Dei nec urbem cepit ovantibus
Gothfridus armis, cum tremerent metu

Tur-

Turres, & arcem præpotenti
Præsidio Ligures tenerent.
O Carole, illud tu Latio decus
Manu repones, splendide gloriæ
Sequacis armorum petitor,
Et decorum generose custos;
Tua ut triremis displicuit Cruces
Formidolosas, Jonium tegi
Se sensit, Ægeumque cingi,
Et metuit Tunetæa Doris:
Turcam quis horror stravit, ut inclyta
Thorace tectum pectora ferreo
Antemna te jecit per hostes,
Ut supero ruit axe fulmen,
Mars sicut alto corrueret Polo,
Te capta pavit navis, ut hostica
Te transtra senserunt, metendo,
Stravit iter tua dextra, Thraces:
Ut victus ignes applicuit suæ
Bessus carinæ, te tonuit mare, &
Per arma, per flammas, per undas
Perdomuit tuus ensis hostes:
I, fortis hostes funde per æquora
Lunæ tenaces, frange potentiam
Ferro Musurmandi, & vetustis
Stemmatibus decus adde victor.



Mi-

Militaris campi Georgica

ODE VII.

In novum belli morem, ex cujus præscripto plùs sarculo, quàm gladio opus est.

AD D. THOMAM PALLAVICINVM

Supremum exercitûs in Gothalania ducem.



NOn virtus fuit Itala,
  Martem quæ docuit fidere sarculo,
Atque audacia turrium
  Urgere indomitis saxa ligonibus,
Quæ parsit gladio, ac trucem
  Demersit caveis pallida militem,
Ne formosa cruoribus
  Sed fœdata luto pectora tergeret,

Sed

Sed morum Scytha barbarus
  In cryptis hyemes vivere pertinax;
Ah Corbem, & Cereri datam
  Cistam belligero tollite brachio,
Ut contra Babyloniam
  Iracunda frequens fulmina torqueat,
Immanis benè bellua
  Campo sueta ferit jurgia libero,
Nec cæcis catuli feram
  Getuli foveis deprimit indolem:
Sed strictis sobolem unguibus
  Adventura docet ludere prælia:
Armis scilicet utitur
  Quæ Natura dedit; sub specubus tener
Dedignatur ali Leo,
  Et bellare pudet sub latebris Tigrem,
Nec certamina destinat
  Pardo sub tenebris ursa cubilium:
At nos more Lupi cavis
  Armata ingerimus corpora militum,
Et palà terimus manum,
  Alas quæ melius velleret hostium,
Ferro ut nescia vincere
  Jactent armigeros pectora spiritùs,
Ac haustu sine sanguinis
  Conductis tumeant ebria laudibus,
Et veram, sola findimus,
  Ut pro farre ferat miles adoream,
Sic nunc vincimus, integros
  Certavisse duces ut pudeat: rudem
Aut vos in Cybeles sinum
  Ignavum timidi mittite sarculum,
Illud quàm benè Libero
  Sudatquè, & Cereri prædia mitigat;


Aut

Aut campos gladius metat,
Hastis & paleas area conterat:
Cur argenteus insonat
Magno ensis lateri, si malè pendulus
A marra videt æmula, &
Imbelli cophino vel Babylonica
Altè mœnia subrui,
Ac armis domitas sic Cerealibus
Urbes concidere inclytas:
Aut hæc viticomo debita prædio
Vili reddite villico, aut
Martis jura, ferox & militiæ decus
Abjurate, sub Arbuti
Umbrà, sub tuguri vivite cespite
Inter pascua, vomeres,
Stivas, rastra, trahas, telaquè, rustica;
Cur ferro premitis lutum,
Et stultum latebris obruitis caput?
Describit tumuli locum,
Qui duris lacerat rura bidentibus.
Olim in Pupiniæ solo
Trito pulvereum e vomere consulem
Accersebat ad imperi
Clavum Roma sui, sed radiantibus
Hostes ut daret ensibus,
Mutaretquè nigras pulvere Martio
Inter prælia glareas.
Ignotum Macedo stravit ad Indias
At non per caveas iter,
Sed regum gladio contudit impetùs,
Occursare periculis
Vel solo didicit pectoris objice:
Sic fossore procul Lupam
Cæsar fatifero supposuit jugo, &

Cel-

Celsarum capita, urbium
 Nec de solliciti more cuniculi
Ad regnum reperit viam, at
 Cœlo teste, greges perculit hostium;
Cur nos dedecus ultimum
 Effœtæ à luteis obsidionibus
Bellonæ, tegimus caput,
 Exhaustoquè animas infodimus solo?
Sic est: egregij duces
 Ut caris viduent civibus oppida,
Ad pugnacula turrium
 Per Plutonis eunt cæca suburbia,
Infossiquè diù latent,
 Quærant ut tenebris fulgura gloriæ.
Antro, miles, abi foras,
 En hastata seges lumina vulnerat:
Nubes ærea fulgurat
 Latè sulphureis fœta tonitruis,
Hostis ferrea turbidi
 Insistit jugulo fistula præbito;
Quid fossæ tumulus juvat,
 Ni furva ut pateat semita Tartari?
Et rectà Barathrum petas?
 Rurali Cereris Tytirus occidat
Instrumenta terens manu,
 Ac tectus pereat latibulo Lepus;
Quando fata vocant senem,
 Miles fulmineis incidat ensibus,
Latè stragibus incubet,
 Scintillans radio cassis & æmulo
Solem verberet obvium,
 Exutum galeà nec timeat caput
Objectare periculis;
 Aut Martis studium si benè displicet,

Jam nunc in mare Ponticum
   Mittamus gladios, mox & acinacis
Extinguamus aquis jubar;
   Quid prosunt pyrij nubila pulveris,
Quid prodest volucri pila
   Alas, quæ properant, addere mortibus?
Diffingamus & ægidas,
   Hastasquè,& clypeos in grave sarculum,
Sed nemo Furias vocet,
   Et longis moveat bella ligonibus,
In pagi gremium ferat
   Isthæc ut Cereri spicula militent.



Et

Et in fluctibus semina.

ODE VIII.

IN TARENTI DELICIAS

Vbi palis è sylvestri Pinu mari infixis adhæret ros, qui convertitur in semen, quod colligitur, undisq; disseminatur, ut adolescat in conchas.

AD D. ONUPHRIUM

de Fulgure Docentulæ Marchionis Patruum.



Vidi per altum Tethyos otium,
Vati stupentes credite posteri,
Pisces Tarentinum ferentem,
Edomito prope qualis aruo
Subdens severis terga laboribus

Credit colonus semina, quæ Ceres
Convestit in spicas, voraci
Læta ferens alimenta vulgo.
Non sola tellus provida concipit,
Fovetque fœtùs, seminibus sinum
Præbendo, sed conchas & æquor
Instabiles parit inter undas,
Quas nauta solers navibus exarat,
Jacto natantum semine funditus;
Quicunque mollescit Tarenti
Hæc stupuit nova monstra ponti;
Pinus profundo figitur æquore,
Cui ros adhæret, nobile piscium
E rore fit semen, frequentem
Ionio sobolem daturum:
Cadmi tremendo munere desinat
Commissa terris semina dentium
Illusa mirari vetustas,
Fulsit ubi galeata campis
Seges micanti germine ferream
Latura messem, spicula, lanceas,
Plenasquè telorum pharetras,
Et sitientia pila cædes;
Tunc sulcus acri milite floruit,
Sed apta tellus gignere milites,
Nàm terra producit cohortes,
Et viridi per amœna campi
Prato catervas nutrit in hostium
Latè ruinam: pisce sed æquora
Disseminari fluctuosa,
Quis solidæ nisi mentis impos
Per acta retro sæcula crederet?
Nostris datum est nunc fidere palpebris,
Blandis, & arridere monstris,
Quæ gremio parit unda fuso.

Fru-

Frustra ut dicaret lapsa perennibus
Primo parenti membra laboribus,
Humum resignavit premendam
Vomeribus sine fraude Numen;
Tumultuosi si juvat æquoris
Periclitari seminibus fidem, &
An inter undarum fragores
Apta feri ferat arva pontus;
Quid contumaces fugimus? integras
Ædes sub undis ponimus, hospites
Thinnos recepturas, coacti
Ut trifidà jugulentur hastà:
Ex ultimis huc squamigeri greges
Ut convolarunt Oceani plagis,
Inspectat, ut Thinnus parati
Ingreditur fera tecta lethi,
Fixis in æquor navita pupulis,
Circumvolutis funibus, & trabe
Ut præda sublimi tenetur,
Indomitus ferit astra clamor,
Tum nauta Thinnos undique vulnerat,
It unda festis sparsa cruoribus,
Et causa Neptuno timoris,
Dum subigi sua regna spectat
Non usitatis artibus hostium, &,
Ut convocent in concilium Deos,
Deasque in arctis rebus urget,
Cymothoe, tubicenque Triton.
Parum est. eamus terga sub æquoris
Hìc substruamus tecta palatijs
Injecta magnis, hìc perire
Impavidi sine labe centum
Conemur annos ducere, piscium
Inter catervas, Orbis & incolæ

Novi, relinquamus vetusto
Ut satyri spatientur Orbe:
Fama est sub undis longè habitabiles
Jacere sylvas, inter & arbores,
Et prata diversis referta
Graminibus sine lege vesci
Coralliorum germine belluas,
Squamosa fertur ducere Proteus
Armenta securus per imas
Oceani sine lite valles:
Hìc seminemus rura colentibus
Latura fruges; ligna nepotibus
Seramus & fructùs datura,
Unda boves alit, unda gignit
Maris juvencos, & dociles parit
Sulcare terras à teneris equos;
Udasque si piget beatis
Vomeribus lacerare glebas,
Venationi grande feras nemus
Nutrit marinas; monstra ferocibus
Figenda dextris, quæ protervus
Invideat Meleagrus, offert.
Vexamus Orbis delicias: maris
In vorticoso navita dum ferit,
Impunè dum terris arator
Navigat; est Gravelinga testis:
Quà vela pandens vector in essedo
Rotas arenis imprimit, Africo
Afflante, dum è ponto phaselus
Fluctuat invidià, quòd aruum
Enavigetur tutiùs æquore.
Absiste, vecors, lintea curribus
Aptare tardis, & marinas
Seminibus violare leges.

Totus Orientis Oceanus Sylvis refertus est. Plin. l.13. c.25.

Tuis


Tuis, Onuphri, tu Cerealia
Committe campis ſemina, quæ, decus
In ſtirpis, immenſas laborent
Poſt genitis generare fruges:
Quà ſe benigno rure Docentula
Pagorum ocellus latiùs explicat,
Toparcha quà nepos renidet
Non modicas cumulaſſe gazas:
Te glorioſo de procerum ſinu
Quis pugnet ortum? Fulgura gloriæ
Antiqua ſi monſtras in amplis
Stemmatibus; tibi larga ſparſit
Fortuna claram divitijs domum,
Natura plenis muneribus tuos
Ditavit artùs, & notis os
Pinxit amabilibus; decoris
At æſtimator parcus, & integer
Cultor, beata è ſorte modeſtiæ
Trahis venuſtatem, & decoro
Innocuum geris ore philtrum,



Potentior ferro voluptas.

ODE IX.

AD F. NICOLAUM RECCUM Hierosolymitanum Equitem, & Hispaniarum regis in Regno Neapolitano Chiliarchum.



INterimit plures, quàm barbara sica, voluptas:
Amor Labore fortiùs
Edomat ingenia;
Frangite luxuriem, non sævior ense Gradivus
Cordi minatur militum,
Quàm ferit arte Venus.
Annibal horriferà indomitus nive, saxea ferro
Cum claustra fregit Alpium, &
Fata dedere viam,
Posset ut impositas Orbi lacerare catenas,
Carthago Romam vicerat,
Orbis & imperium
Transtulerat Fortuna, manu ni blanda voluptas
Tactu Leonis asperi

Col-

Colla decora jubis
Palpasset, cecidit sic Afra protervia frontis,
Quique ense montes diffidit,
Frangitur is Capuæ
Delicijs, unguenta domant quem bella tepenti
Cruoris unda sparserant,
Liber, & alma Ceres
In Latij fregere sinu quem vincere Mavors
Non ausus armorum globo,
Prodigiosus amor
Sævior igne vorat præcelsi pectoris Ætnam;
Heu surge stratis, Annibal,
Eripe te Veneri,
Mollis, luxuriæ roseas diffringe catenas,
Alpes, & altas milites
Transilijsse nives
Auspicijs potuere tuis, sternique caduca
Romæ recusant mœnia?
Desere Seplasiam,
Te Romam Fortuna vocat, Capitolia cœnam
Tanto pararunt hospiti.
Sterne tibi ense vias,
Quo vel cæliferas vicisti pervius Alpes,
Et Alpium truces feras;
Africa læta caput
Terrarum spectare cupit Carthaginis arcem;
Et ista hebescit dextera
Quæ dabit imperium?
Ferro ignique sequi terris, juratus, & undis
Romæ potentiam, sedes?
An ducis ense latus,
Ingenium Carthago dolis armavit, ut artes
Campana perdat, hostium
Et sine cæde, Venus?

De-


Decolor à dubio tibi supplicat Africa bello,
Ne præda fias otio,
Ne terat arma situs,
Quæ fervent dudum Latijs à stragibus: Urbes
Nec Africanis obviæ
Ensibus ire parant:
Nam jacet in campo Latium, & viduata labascit
Jam Roma non uno duce:
Fœda cadaveribus
Romanis, sua stagna timet Thrasymenus in æquor
Multa revolvit decolor
Cæde Ticinus aquas,
Attonitas Trebiæ clausere cadavera fauces,
Ripam & refusus lugubri
Occupat amne cruor,
Ipse suas tabo coëuntes Aufidus undas
Miratur, undas non suas:
Punica tela calent
(Et non surgis?) adhuc Cannensi sanguine, clarus
Fato Latini nominis
Te monet ille dies,
Italiæ tumulus Cannæ, jacet Itala virtus
Gentis sub alta Romulæ
Strage sepulta, vocat
Te Martis Fortuna, time ne vincere victos.
Te sors ab ulnis Africæ
Quæ tulit, arma feret
In Romæ gremium, dextro gere sidere bellum:
Cur in voluptatis sinu
Frangere pectus amas,
Quo sua deposuit Carthago gaudia, largam
Quo spem, & triumphos condidit?
Cur premis antra, Leo?

Ah

Ah non ista decent Libycum pigra lustra Leonem,
Exi, minores montium
Per juga funde feras;
Jam Romana tremit domino tibi præda sub ungue,
Specùs, & umbram desere;
Ne tua Cypris alat
Corpora delicijs, quæ virtus Maura probavit
Æstu Africano, & Alpium
Frigore: pila times?
An cepere tuum vincendi tædia pectus?
An ille ductor Annibal
Altera bella gerit?
Proh pudor! Annibali placuere Cupidinis arma,
Est frater Æneæ, cave,
Ne tua castra puer,
Et modò victorem vitijs effœminet ensem,
In majus ille provehit
Prælia Romulidum,
Te furtim superans arcu juvat arma nepotum,
In te refringit Africæ
Spiritum, & arma tuæ.
Ille rudem suetus de cespite sumere cœnam
Sic militares Sicana
Corrigit arte dapes?
Gaudet & algentes mollire caloribus undas,
Nives solutas Alpium
Qui ferus ore bibit?
Quis fragor attonitas (surgamus) personat aures?
Cur retro vertis, Annibal,
Lumina torva? nitor
Non est fœmineus, strictis gravis emicat armis,
Magisque vultu Scipio,
Cominus æra sonant,

Fer-

Ferrea tempestas immissis grandinat armis,
Diverberant equi solum,
Et tua terga premit
Lætus, ut eripiat spolium memorabile, victor;
Cur bellicosa deijcit
Pallidus ora color?
Non es qualis eras, cum dextera terruit Alpes,
Rupes minantes Ætheri
Insinuare caput,
Teque prius bello certavit perdere luxus,
Si te fugabit Scipio,
Vicerat ante Venus.




La-

Latens ſub capillo mendacium.

ODE X.

In ſenilem Cæſaris Venuſtiani Piluccam

Ad noſtri ſæculi ſenes.



VT alba ſpumis littora Mincius
Frangit, vel alti non memor alvei
Qualis ſuper ripam ſuperbit
Indomitis Eraſinus undis,
Lymphis tumeſcens auxiliaribus
Aſtrorum, habenis Juppiter irrigat
Cum rura fuſis, aut nivales
Cum Zephyris tepuere montes:
Venuſtiani colla tumentibus
Flagellat undis cæſaries: furit
Ut cana tempeſtas comarum! ut
Ripam humerorum animoſa tranſit
Servare colli neſcia marginem!
Nunc Cyprinorum prodiga pulverum
Bacchatur, & latè Veſevi
Pulvereos imitatur imbres,
Simul protervos ſenſit anhelitùs
Volantis Auſtri, nunc Aquilonibus

Alludit, ut fit cunque ventis
Ludibrium; prope qualis albet
Abominato sylva gravis gelu,
Aut impotenti fluctuat Africo
Vertex Atlantis, cum nivosis
Frondibus incubuere venti:
Cur indecori caluitij immemor
Comas odoris mercibus oblinis?
Et multus alterno natantem in
Pectine cæsariem fatigas?
Sic dissipati navita temporis,
Famosus emptor dedecorum, & joci,
Risusque mercator, Decori
Prostituis sine lege famam!
Incana mittas findere tempora,
Furto comatas, ne tere plurimus
Sub crate dentata novales,
Crede bonæ nihil esse frugis,
Solùm ferarum fertilis albicat
Gelu senili hæc terra: quid attinet
Spissos tot impensis Piluccæ
Ferre caput per inane crines?
Sic Martialis pectoris indoles
Se vorticosis crinibus implicat,
Tractare quæ debet catenas
Hostibus impositura frœnos?
Tantum superbi Cæsaris & nihil
Ostendit extra cæsariem caput?
Ni fortè cum latis reclinat
Crinem humeris, onerique servit
Sinistra blando, se se Arabum putat
Versare gazam, aut Orbem humeris dare
Se credit, interdum nitescat
Fœmineo manus apta mundo

In

In Moralvum.

Risum risu extorquentem.

ODE XI.

PLoras, an atro lumine turbidùm
Moralve, rides? si facies vetat,
Vultu quid invito renides,
Umbrifero metuende naso?
Cum fronte risus setigerà ferox
Turpi duello pugnat: at occupat
Frons torva risum, tu decorum
Terribiles reserare dentes
Ridere credis: sic Borealibus
Sol tristè ridet nubibus hispidus:
Hiulca cum venti minantur
Arva super glomerare nimbum:
Ne prome risum multus anilibus
Acerbiorem fletibus, eligo
Spectasse pro risu Luporum
Horribiles, Tigridumque rixas.



Flexo in veſperam ætatis die, creſcentem ſequitur ſenectutem tenacitas.

ODE XII.

In ſenem avarum.



AEtatis inclinaſſe meridiem
Advertis, ac ſi ſtet volucris dies;
Quanta laboras in crumena
Digne ſenex numerare Lunas:
Vides pruinis ut caput albicat!
Nec oſſium jam pondera ſuſtinent
Pedes laborantes, geluque
Sparſa pigro riguere membra!
Longo tonitru pectora mugiunt,
Cum peſtilenti tuſſis ab Africo
Crudeſcit, atquè injurioſo
Tabificus pluit ore ſanguis:
Viſu ſtat atro fulmen, & horrido
In ore curæ nubila colligunt,

Ut

Ut nigra verborum procella
Attonitos quatiat clientes;
Quicquid mineris, non steteris diu, &
Nequicquàm anhelas ambrosia dape
Fulcire membrorum ruinam,
Serior ut trepidavit ætas;
Cur æviternùm vivere pertinax
Putas acervo credulus aureo
Te lustra subscripsisse lustris;
Cras avidum subiturus Orcum?
Cur si Lyæus frigeat à nive,
Si blandiantur fercula gutturi,
Tabescis, & mensas amaro
Sæpe supercilio venenas?
Sic certus Orbem perdere, ventilat
Crines per auras, non ubi gentium
Impunè spectatus Cometes,
Ille micans furialè pestem,
Famemque, bellumque urbibus invehit,
Et denegantem munera Liberum
Benigna, fallacemque monstrat
In palea Cererem dolosa.
Te fabulosis solve timoribus,
Foecundiores concipe spiritus,
Effœte, rugosis quid arctum
Consilijs animum fatigas?
Non ipsa Tellus te fugiet parens,
Nigro cadaver te capiet sinu; &
Cessas? inæquales refunde
Terga super potiora curas,
Dissolve dextram vulturis unguibus
Capaciorem, pro genio aureos
Dudum catenatos remitte,
Ut meliore cuti nitescas,

Morti redones cætera, quæ ſimul
Traxit tenaci corpore ſpiritum, &
Siccis inhærentem medullis
Eripuit generoſa vitam,
Quis noverit quæ dextra pecuniam
Ter indecoro pulvere ſordidam
Vocabit in lucem è receſſu
Jura hominum violantis arcam



Oleat


Oleat dum servet.

ODE XIII.

IN ALLIUM

Vt pestilentia pene dilapsa, vim morbi arceat à PP. reversuris è Sosiano Neapolim

AD DIDACUM RAGUSIUM archiatron.




O Quod lethiferi sideris arbiter
Frangis terribiles Pestis anhelitus,
O spes candida vitæ,
Hortorum decus, Allium,
Præsens vel stomachi tollere tædium,
Ventris vel tumidi rumpere tormina,
Quamvis cortice flatus
Gratè difficilis fluat;
Spiras dulcè tamen, robur amabile
Tu præbes capiti, marcidus otio,
Te spirante, labori
Luctatur rediens Vigor,


Te spes, & roseis rara Salus colit
Semper viva genis, te sequitur comes
Rectoq; poplite Virtus
Per Nili viridaria,
Cum largis madidam delicijs domum, &
Unguentata fugis limina Cæsarum:
At mensis procul arcet
Te Luxus populans opes,
Se plenus procerum Fastus in agmine
Te parcit niveis stringere dentibus,
Ventris te vocat hostem
Vultu pallida Cruditas.
At quid non gravior morte potest timor
Mortis? sollicito gutture quæreris,
O, ignobile mensæ
Olim dedecus, Allium.
Te dives digito tangere nescius
Præ te nunc sapiens balsama negligit,
Et te sæpè coronat
Cœnæ dulcè caput suæ,
Amplis te patinis illinit helluo,
Et si lance super spargeris, asperum
Culpat nemo saporem,
Non est opprobrium gulæ,
Si spiras calidis faucibus, appetit
Te farcire coquus fercula, principum
Te convivia poscunt,
Optant prandia Cæsarum;
Serva, dum properant Parthenopen, patres,
Cultæ delicias Palladis, aureæ
Florem redde juventæ
Lætis Pausilypi plagis;
Ne surgens avido Pestis ab aëre
Afflet fulmineis sævior ignibus



Ma-

Magnæ germina matris,
Nigro aut proruat halitu; &
Hæc curæ referes præmia ſplendidæ,
Orbi Gnoſſiaci ſtemmatis æmulum
Oſtentabere ſertum,
Multo ſidere lucidum:
Aſt hæc plus nimio credula neſciat
Nili frugilego ſanctior accolà
Plebes, ne peregrinum
Mox te conſecret in Deum.





LIBER V.

Romanus Chryſoſtomus

ODE I.

AD JO:. PAULUM OLIVAM

Pontificium Concionatorem, & Supremum moderatorem Soc. Jeſu.



DEo rebelles frangere ſpiritûs,
Et clauſa Cœlo pectora geſtiens
Orator, exurdet plateas
Fulmineo metuendus ore;
Latè tonantem trans Aſiam tremant
Obſeſſa Mauris littora vultibus,

Formidet & Persis, deorum
Et statuis redimita Memphis.
Ut ille jactat dicta micantibus
Vibrata verbis; clamet ab ultimo
Templo scelestus, & nefando
Illacrymet scelerum veterno.
Contra ter Æthram si caput extulit,
Ter ictus oris fulmine concidat,
Projectus ad pedes tonantis
Ter caleat vomuisse crimen:
Sic sternit Oetam carcere nubium
Emissus ignis, non sine vallium
Clamore, dum tremens ferarum
Attonita stupet aure vulgus:
Ergo elegantes tollite flosculos;
Ferire vestrum est, mittite fulmina;
Facunda dum mugit procella,
E lacero fluat unda vultu;
Fleat coactus flere licentiam,
Ridere jussus rideat, uvidas
Et ponat, aut sumat querelas
Rhetoris arbitrio moventis.
Auriga qualis Gallus in essedo
Virga jugales quà libet incitat,
Indulget hàc currens habenas,
Hàc veniens inhibere gaudet:
Cur blandienti carmine credulæ
Implentur aures? sibilet auribus
Vocale telum, contumacis
Si cor amas tetigisse vulgi:
Non dura frangunt pectora tinnulis
Illusa gemmis spicula: concidit
Nec miles à bombo, petantur
Ni volucri capita alta plumbo:

Fru-

Frustra efficacis nutibus Albritì
Disiecta latè crimina gentium ,
Gestuque Copponi minaci
Luxuriæ tremuisse Lernam, &
Galæ Charybdim faucibus aridam
Stetisse clausis , dicimus; urbium
Si monstra palpantes, Ligustrorum
Imbre juvat tumulare culpas
Crudeliores Eliogabalo:
Si delicati tum loquimur rosas ,
Terrenda cum Cypros tonitru :
Et teritur Ganimede fulmen,
Quod belluosi frangere verticem
Aut debet Æmi, aut sternere Caucasi
Immane dorsum , vel Cytori
Vel Rhodopes tenuare fastum:
Te te, beatæ Liguriæ decus,
Oliva , testor, qui potes æmulà,
Umbrà vel obscurare soles ,
Dum geminant procul astra risùs,
Et ostra laudant cominùs, ingenì
Vinci & fatentur lumine, quo nites;
Facunda dum nulli sacratas
Gloria sic patefecit ædes:
Severiori carpere seu libet
Ludo coronam , ludis, at altiùs
Vulnus dehiscit, seu vibranti
Multa supercilio loquutus
Terres nocentes , monstra, Cupidines,
Et obligatos sensibus explicas,
Aut in venenatis natantes
Delicijs animos reducis:
Cum pulchra vultùs ira rapit tuos
Surgens ab imo pectoris; inclytas

Ruens

Ruentis in Culpas Loquelæ
Quis valeat tolerare fulgur?
Quantus tonanti voce Superbiam, &
Luxum tremendis nutibus opprimis,
Gestuque Livorem trucidas,
Frangis Avaritiam, relegas
Abominatos trans mare Ponticum
Moresque, cultusque igneus aspici!
Auditor elato potentis
Ingenij calet igne tangi,
Salubre vulnus pectoris inspicit,
Et osculatur fulmine dexteram
In crimen armatam trisulco,
A quo animi cecidere monstra:
Seu mitè fulges aureus eloqui,
Tuo renidet numine corrigi
Romana Libertas, & uni
Regificum tibi servit ostrum:
Te ponè Splendor nescius atteri,
Fas, & Decori filia nobilis
Servire Majestas parata, &
Mundities studiosa Veri
Circumvoluti litibus ambulat,
Te frons benignùm splendida, Cælicus
Te risus ornat, te magistra
Consilij sine fraude lingua,
Te flore summæ candidior nivis,
Nitor sereno pulchrior imbuit,
Et ore manantes per Vrbem
Nectareos jacularis imbres:
Hinc post Olivæ nomina garrulus
Ripà intumescens insonuit Thybris,
Utràque, curvatisque septem
Verticibus tibi Roma plausit:

Non

Non usitatis excita plausibus
Respondit Echo : nobile vitibus
Ter flexit Albanus cacumen,
Terque Aceris, Tiliæque colla, ac-
Clinans Olivæ, vertice supplici
Se stravit ; alto non sine murmure
Primique prostravere montes
Italiæ, tua dona, Palmas:
Soracte prono culmine gestijt
Ter concioni plaudere, spiritu
Loquentis ardenti soluta
In lacrymas glacies abivit;
Eratque lapsu cernere ludicro
Undis per Urbem vociferantibus
Plausisse fontes : ludibundus
Ter nemorum per aperta plausus
Circæus hausit collis, & arbores
Ter explicatis frondibus extulit:
Visoque te, curvavit arces
Nubiferas, humerosque flexit.



Xaverium Sidus


ODE II.

IN D. FRANCISCUM XAVERIUM.

Qui Typhonem ex Oceano fugavit aſpectu.

AD P. MICHAELEM DE FLORE

Cum totius Societatis Jeſu in Regno Neapolitano moderator in Calabriam navigaret.



HIc ille Typhon Tethyos Indicæ
Latè tyrannus, vortice perfidus
Rotare ſpumanti phaſelos,
In maris opprobrium frementis:
Hic qui tremendis fœta tonitruis
Cœlo vocabat nubila, navium
In damna, quaſſabatque remos
Vela trahens per amara Ponti,

Cui

Cui militavit flatibus Æolus,
Neptunus undis, fulmine Juppiter,
Septusque nimborum catervis
Per medios equitavit Euros
Vectus curuli turbine, nec piger
In saxa puppes frangere, gestijt
Rostrisque, prorisque, & carinis
Turrigeras viduare classes,
Saberiani lumine sideris
Exactus undas deserit, æquoris
Æternus exul, fluctuantes
Non iterum ruiturus Alnos;
Non sævus ipsi serviet Africus,
Notusque scindens verberibus rates,
Quin bella Neptuni perosus
Æoliæ repetivit antra:
O quisquis altis vota rudentibus
Suspendis, æquor navita pertinax
Quassà remensurus carinà,
Naufragia, & pelagi fragores
Calcare nigros impiger, aspice
Astrum Saberi luminis, aureùm
Connivet, audaces per æquor
De supero ut regat axe puppes:
Spumis tumescat Tethys, & increpet
Segnes procellas, unda frementium
Horrescat incursu Notorum, &
Impleat Oceanum tumultu,
De stirpe tentet vellere littora,
Mersare & urbes cum populis petat
Effrœna Fatorum libido,
Atque vias aperire Ponto;
Nutu Saberus Fata redarguit,
Pellitque retro; terret & improbæ

 De-

Decreta Fortunæ, efficaci
Luminis imperio sereni;
Ferox vibratis fluctibus Africus
Vel astra spargat, subruat insulas
De sede Caurus, ac minaces
Auster agat nebulosus undas;
Ut ipse Naturæ arbiter emicat
Franciscus, acri missilis impetu
Pupillæ in æternum procellarum
Exilium fugat ore ventos.
O Flos, decoris gratus eras amor
Olim camœnis, nunc stimulus, suam
Quo sæpe ridentes amarunt
Pierides decorare frontem;
Per te vetus nos fallit adagium,
Et jure, terris ver quòd ab unico
Non flore splendet, nam potest Ver
Flore tuæ remeare linguæ, &
Tuo serenus post ubi fulserit
Vultus clienti: Sol micat altiùs,
Divinum & emittunt odorem
E nitido quasi flore mores:
Quod in venustis pharmaca floribus
Natura pinxit, nunc liquet, efficax
Cum vernet occultis vel unus
Flos animi medicina morbis;
Quin Flore in uno Gratia præstitit
In cuncta nobis antidotum mala.
Te sensit & Typhon per æquor,
Qui manijs, odioquè florum
Præceps ab undis nunc iterum fugit,
Ridere magnum dum videt in mari,
Spretaque tempestate, Florem,
Cum trepidet procul atra nubes

Do-


Domat omnia Casus

ODE III.

IN LAURUM

Cum ea ruri ab improviso turbine corrueret.

AD P. JACOBUM LUBRANUM
Cum quartùm in templo Soc. Jesu maximo per quadraginta dierum esuriales ferias Neapoli concionaretur.



VT Laurus cecidit! ruralis pompa theatri,
Æterna pagi laurea,
Gloria ruris, amor
Thespiadum, nitido tum flumine culta Napæis,
Nunc irrigata fletibus,
Præda relicta focis:
Laurus, bacchantur quà frigora sæva, comantis
Æternitatem verticis
Trux veneratur hyems,

Et vellit Zephyrus! quæ fulmina pellit, inani
Succumbit auræ sibilo! &
Vertice verrit humum
Sidera quo tetigit! viridi quæ frondis honore
Crines poetis cinxerat,
Flet viduata comis!
O illam, Vulcane, precor preme follibus auram,
Qua Laurus, horti filia
Nobilis, icta jacet,
Sordeat illa niger quà fumus fluctuat, igni
Ut ustuletur, ventilet
Bronte agitata focos:
En sociæ nunc sponte volunt arescere Laurùs,
Mœrore Myrtus palluit,
Et periere Ederæ
Sylva ferox latè discissis sibilat Ornis,
Umbrare vatum præscias
Odit avara comas,
Dum, procul esse Jovis jussit quæ fulmina, Laurus,
Injuriosis Africi
Flatibus acta ruit:
Nec tantùm arboribus lapsum Fortuna minatur,
Frondes ut auris dividat,
Quæ super arva volent:
Casus at insultat mortalibus: ille minaces
Martis phalanges demetit,
Sed cadit à Venere;
Armatum scopulis hic debellaverat æquor,
Sed edomatur poculo:
Hostica flamma timet
Quem repetita necant feris convivia lychnis;
E mensa ad haustum sanguinis
Qui ferus ibat, avet

Im-

Immunes à Marte dies spondere Lyæo,
Et Dædaleam plurima
Lancem onerare dape:
Qui ferri, frontisque jubar modò contudit hostis,
Pecuniarum lucidis
Illecebris trahitur;
Hæc modò jura manus captivis splendida scripsit
Nec erubescit pectinis
(Sordida!) dente capi:
Hostibus illa citas iniecit dextra catenas,
Quam vel capillo subligat
Insidiosus amor:
Alcidem, vultum clava qui perculit Hydræ,
Risu voluptas edomat
Hercule prosperior;
Indomitus bellis Macedo, qui Marte secundo
Notam nec Indo in Indiam
Primus adegit equum,
Pellice captus amat, binos cum ceperit Orbes;
Hic est Alexander? date?
Alter: amica Venus
Amplexu frangit tenero quem vincere bello
Armata & Orbis viribus
India tota nequit,
Deseritur Mavors, Veneris dum castra petuntur,
Placent veneno perlitâ
Arma cupidineo,
Fulmineum pressit triplici qui casside vultum
Sudore largo roscidus
Cæde cruentus, amat
Ignavas sine clade genas perfundere Baccho, &
Rosa severas cingere
Liberiore comas,

Dex-

Dextera, qua fulsit bellantis lancea, plectrum
Imbelle tentat, ludicrum
Et bibit aure melos
Is, cui terribiles belli placuere tumultùs,
Adursit ore militem
Qui ter ad arma, canit:
Illa manus fluvios auxit quæ sanguine, crines
Quatit madentes, Cyprino
Pulvere sparsa nitet
Pulvere quæ Martis debet sordere decoro
Concreta pugnæ sanguine
Horrida Cæsaries:
Fatali armorum qui terruit ense procellas
Inter rosarum turbines
Oscitat, atra seges
Cui modò telorum placuit, delectat odorum
Jucunda messis, Persica ef-
fœminat arte dapes
Martia qui pugno conclusit prandia, posset
Ut Susiano sanguine
Luxuriare sitis.
Sic est: Circæo peregrinos hausit amores
Potentiores poculo,
Alter erit Macedo.
Quò te, Musa, ferox nolentem detulit Auster,
Quo Laurus acta corruit;
Parce, Lubrane, precor:
Quid tibi cum nimbis? pereat vel fulmine Laurus,
Te fulminante, germinat,
Crescit & eloquio,
Nec tua Laurus obit, populari vivit ab aura;
Quid? te loquente, turbines
In Zephyros abeunt.

Jus

Ius ſtemmatis ad coronas

ODE IV.

AD P. JOSEPHUM EDERUM
Cum Neapoli in Templo Soc.
Jeſu per Cineralia concio-
nando oſtenderet:

Ingenio, & labore Cœlum exemplo funambuli petendum.



NAtura Cœlo nos genuit, monent
Hoc nata nobis ſidera, grandium
Felicitati quæ laborant
Latè hominum, ſine fæce lumen
Vitale donant, ut potioribus
Ueſcamur auris: limo igitur decet
Majora conari, Deus dat
En animo ſine fine dotes:
Humo rebelles ſplendida reſpici
Voluptuoſæ munera patriæ
Linquamus, alarum lutoſas
Remigio fugiente terras:


Poſ-

Possit labori juncta quid indoles,
Funambulus nos edocet, altior
Qui fune suspenso per Æthram
Ingeminat per inane saltùs,
Scitus choreas ducere vix aves
Quò pervolarent, nunc pede pendulus
E reste se mittit retrorsùm,
Nunc manibus sua stringit audax
Non absquè vulgi laude pericula,
Et nunc rudentem dentibus apprimit,
Ut præda festino tenetur
A cane, cum resonare valles
Exaudiuntur plausibus hospitum:
Quot eruditis brachia motibus
Permutat! ut, qui fluctuantem
Navigij modò rexit Alnum,
Totis camelum viribus insidet?
Fit læta ludi scena periculum,
Discrimen in ludum revertit,
Luminibusque, animisque prostat
Sed ludus atrox, turba Quiritium
Cui nec parem spectavit, in unico
Cum civibus frequens theatrum
Roboreo strepitaret axe:
Cælo propinquat tangere gestiens
Funambulus si nubila, cur piget
Nos astra luctari, vocat si
Munificum super astra Numen?
Suo fit audax ille periculo,
Cum docta jactat crura per aërem
Fracturus in partes protervam,
Si fragili ruat axe, frotem; at
Calcare nobis sidera si lubet,
Affigit alas spiritus aureas

Ulnis, ut à terris amica
Quis facili petat astra motu.
Heu pervicaci sidera spernimus
Formosa fastu; tædet amabilis
Serena nos Cœli tueri,
Exilium reputamus Æthram:
At est eundum in Tartara, pensili
Quot tum movemus mente pericula?
Monstrentque thesauros ut umbræ,
Has precibus revocamus Orco,
Ductore & illuc dæmone tendimus,
Per cæca dextras rudera credulas
Movemus, auri pertinaces
Depositi reperire pondus:
Vis auri in auras post ubi prodijt
Ditis profundo tracta suburbio,
In astra mox ædes ituras
Substruimus, trepidante saxo
Iram propinqui fulminis, orbitam
Signante tractu fulguris, horrido
Dum quassa nequicquam tonitru
Tecta gemunt, dubiæquè turres:
Funambulo sublimior è sinu
Hæc intonabas, Edere, pulpiti,
Affusa cum tibi juventus
Attonitas patefecit aures,
Ut concionis plauderet artibus:
Quis cum secunda personuit favor
Admurmuratione? palmam
Ut daret eloquio, aut coronam,
Quo te vocavit nomine Civitas,
Quintiliano cum stupuit parem?
Amica dum ramis adhærent
Brachia, vis Ederæ tenacis

Pro-

Proceriores ſtrangulat arbores;
Diſcincta ſtringens pectora civium
Fulgente ſermonis catenâ
Tu trahis & miſeros ad aſtra:
Nec, doctiorum præmia frontium,
Deſunt coronæ, tecum Ederás geris,
Et jus coronarum vetuſtum,
Et meritum ſine lite primum.




La-

Latiùs à ferri ſplendore
coruſcat.

ODE V.

AD VESPASIANUM
DE BAUCIO
Olim in Inſubria equitum ducem:
ut ejus exemplo ſe Lidanus
militiæ dedat.



HEu Sole primo, Lidane, clarior
Inclinat oris ſplendor, & illius
Qui totus afflabat nitores,
Labra ſuper ſaliente riſu,
Quantum remiſit! nubibus inficit
Jam cura frontem, quæ prior Iride
Fulgebat, & quæ nunc comarum
Trans humeros ſpatiantur undæ,
Gaudentquè ritu fluminis aurei
Colli decoros lambere margines,
Brumalis ætas cum propinquat,
Hos niveus ſepelit capillus:

Tunc tuſſis imo pectoris intonat,
Tenebricosùm lumina fulgurant,
Et membra tunc frigus pererrat
Populeo pigriora trunco:
Cur ſordidum te macerat otium?
Cur arma neſcis tangere, virium
Sincerus? & torvè decorus,
Cur Cyprino malè ſparsus, horret
Sordere crinis pulvere bellico?
Cur frœna vitas cautiùs Aſpide?
Cur non reluctantes habenas
Belligeros agitas per ignes?
Collo fluentes cur religat comas
Fatalis hoſti dextera militum
Servàta captorum catervas
Non humili cohibere nodo?
Si cernis haſtam, lumina territat,
Ancile mutas pectine: pectori
Lorica detur, delicato eſt
Sarcina non ſubeunda tergo:
Vides ſenili ut ſtet nive candidus
Veſpaſianus? bella per, & dolos
Mavortis enutrita durum
Militiæ tolerare pondus
Ambivit ætas: dux equitum fuga
Mulctavit hoſtem, cui capulo tenus
Immerſit in femur ter enſem
Gemmiferis metuendus armis:
Haſtæ coruſcans fulmine terruit
Forzæ cohortes, diſſidit Alpium
Et clauſtra ferro, ne daretur
Eridanus nova præda Gallo:
Ille ad paterni liminis oſtium
Phœbo redivit tinctus ab extero,

Sed gloriæ quacunque ſeptus
Luminibus patriam reviſit,
Suoque major ſanguine: transferat
Hùc perfidus nunc Annibal Africam,
Retentet ac iter per Alpes,
Inveniet ſine fraude ferro
Qui frangat auſum, turbidus aſpici
Serpente quà ſe voluit in alveo
Vulturnus, aſcribet nec agros
Stelliferos, Capuamque prædæ,



Ver transfuga

ODE VI.

In flores qui laboris solertiâ alieno anni tempore nascuntur.

AD P. EUSEBIUM TRUXES

Soc. Jesu.



Terram quis urget tempore non suo
Injurioso findere sarculo,
Ut inter exurgant pruinas
Fronde Rosæ metuente solvi?
Ut Lilium stet candidius nive,
Crudele torret dum temerarios
Frigus labores, & Ligustra
Grandine dum Boreas flagellat:
Dolet fugaces Vere dari Rosas,
Rosamque poscit frigore pallidam,
Ut diffidet luxus, suasque
Delicias sine lege vexat!
Brevi voluptas edita Lilio
Cum flore marcet: nec Violæ est honos

Sem-

Semper; quid anguſtis ter amplum
Delicijs animum fatigat?
Cadaveroſi cur tumuli immemor
Jactans odores tam male contumax,
Flores revincit, quos coactis
Riſibus explicuere teſtæ?
Si delicati corporis accubat
Hircus ſub alis, non Paphij vepres
Gratum elaborabunt odorem,
Non capitis ſtudioſa Nardus:
Ni florulentis artubus Iridem,
Calthamue ſpiret, fallitur, in roſam
Omnes licèt florum recentes
Illecebras Paphos ipſa mittat;
Non hunc beabit vel roſeum decus,
Vel Tuliparum ſidere pulchrius
Implebit aurum, mancipatæ
Arabiæ nec odora meſſis:
Virtus laboris neſcia deſidis
Intaminatis rorat odoribus,
Nec flore lætatur caduco,
Quem vitiat glacialis aura.
Florem ergo, Truxes, quàm ſapientiùs,
Quem gignit Hortus penſilis ingeni,
Innectis, æternum ut Minervæ
Impediat diadema frontem:
Tot non hyems dat florida Tulipas,
Aut Argemonas educat Iſcerus,
Florumque tot ſcenas nec affert
Hoſpitibus peregrinus Orbis;
Quot dulcè florent dicta micantibus
Tuo ore verbis, quot veneres nitent,
Ridentque facundi lepores
Mentis ad ingenium diſertæ:

 Nec

Nec pertinaci ſollicitas manu
Flores nivoſis imbribus hiſpidos,
Nec vere permutas amico
Indomitas hyemes Decembris:
Nec arte ponis tot ſegetum potens
Natura naſci quod vetat, & ſui
Benigna ſe fingit ſeveri
Fortis ad imperium coloni.
Ah unus inſtar ſplendeat omnium
Flos, eruditis qui folijs refert *Granadilla*
Exempla deſpecti Tonantis
Socraticis potiora chartis;
Non indiſertis ſcripta coloribus
Odora vernis frondibus enitent
Tormenta, pendent hinc in artùs
Flagra, minax riget hinc columna,
Poſcit protervis aſpera ſentibus
Corona frontem, vincula brachijs
Minantur, emiſſumque germen
In tremulam tenuatur haſtam,
Clavique ſacro murice purpurant,
Crux horret atrùm, qua malè pendulum
Mox numen (ah nefas!) avitum
Sanguineo lavet amne crimen
Natura blando floris, & in ſinu
Luget, ſed artem vincere geſtiens
Edocta de Cœlo laborat
Numinis aſſimulare pœnas:
O flos, virentis lætus agri dolor,
Veriſque primi funebre gaudium,
Qui, lugubres ridere valles,
Et gemitus dare rura, cogis;
Te mittat ardens ſpiritus Africi
Siticuloſis urere flatibus,

Su-

Suspiriorum aura fovendus,
        Et lacrymarum animandus imbre;
Tuo aura tactu læta procacibus
Levare discat pectora fluctibus,
    Curarum & assuescat nigrantem
        Nubibus exhilarare frontem:
Magistra mellis dædala, Vesuij
Dum rura lustras, dulcia non rudis
    Ad furta, frondes ah beatas
        Parce avido violare rostro,
Vel separatis nectar amabile
Depone cellis, pectora quod valet
    Beare, circumfusa quamvis
        Turbinibus properent ad Orcum.



No-


Nocentior hoſte Seplaſia.

ODE VII.

AD P. ANTONIUM MURANUM Soc. Jesu.

Qui nonum jam annum Collegio Campano præerat.

Cum penè deletæ veſtigia Seplaſiæ una cum vate cerneret.



Exi, Maure, cubilibus,
  Collo deme, nigra quæ premis alite,
Pulvinaria, vellere
  Fartas barbarico deſere culcitras,
Plumis in genialibus
  Ut quid membra calent naufraga, quæ nives
Duravere diu Alpium,
  Et quæ ſole ſuo torruit Africa?
En te Fata foras vocant,
  Et grandes animas pulchra redarguit.

Mors .

Mors innata periculis
Letho ne pateat degeneri via,
Da sublime cohortibus.
Romanis caput, armata minacibus
Terre falcibus agmina,
Huc huc saxifragas duc age Vineas,
Et ternâ Pluteus rotâ,
Ferratusquè Aries mœnia verberet,
Arces Scorpio subruat,
Et Balista modo turbinis urbium
Propugnacula perprimat.
Muros mobilibus Turribus occupa,
Frons Marti pateat ferox,
Flammet ferrum, acie sæviùs at sua
Scintillent oculi palàm,
In primós Siculam certa Phalaricam
Hostes dextera torqueat,
Cautes, saxa, trabes, robora, stipites
Tollenonibus evibret;
Virtus nuda simul splendet, in alterum
Mors declinat, & obvium
Consternata fugit lancea militem
Quid nunc fercula Punicis
Profunt plus nimio dulcia faucibus
Quidve unguenta juvant, nisi
Ut Martis gravius pulvis adhæreat?
Ungant corpora milites,
Fit Fortuna simul lubrica, mollior
Et fit vulneribus locus,
Marti deficiunt pectora, nec pedem
Pugnans figit, humi tenax,
Sed mox planta retro frigida labitur:
Illic stat rigor Alpium,
Hìc unguenta recèns Seplasiæ nitent,

Al-

Alpes at domat Annibal,
  Qui mox edomitus Seplasiâ jacet;
O major via montibus,
  Vicusquè Italiæ mœnibus altior,
Curto qui potes obiice
  Fortunam gladij sistere Maurici:
Pennis versicoloribus
  Fulgentes galeas tollite, milites,
Putres en oculos, pigra
  Sed plus corda seges ferrea percutit,
Telis fuscat & aërem
  Nubes missilibus turgida, Noricum
Pilum sævit, inutiles
  Thoracisque moras cuspide dividit:
En pugnacibus emicat
  Obseptus peditum Fulvius ensibus,
Exi, Maure, cubilibus,
  Trux in fata, polo judice, militet
Magni dextera nominis,
  Dum Mars ipse parat dona clientibus;
Campus gaudeat, hostium
  Te stantem in cumulo pro patria mori, &
Casuro super agmina
  Applaudant nitidis sidera nutibus.



Ana-

Anatome Veneris.

Hoc eſt

Humanæ pulchritudinis, & inſpectio, & contemptus.

ODE VIII.

AD D. ANDREAM THAMARELLIUM.



ANtiquum Thamaræ genus,
  Sicut Pentapolis vivimus arbores,
Quæ formoſa ferunt ſupra
  Hortos Heſperidum poma, ſed advenæ
Malum ſi digito premant,
  Exhalat, cinis, & fumus in hoſpites;
Ut penè exanimes cadant:
  Pulchro illuſa rubent tegmine corticis:
Aſt intus catulos olent:
  Per vultùs hominum divide lumina,
Et frons, quæ velut area
  Circumquaque nitet conſita Lilijs,
Extra temporis aleam
  Eſt campo ſimilis, Pentapolim ſuo

Qui

Qui ſub pulvere contegit:
Inclinata favet quæ gena nutibus,
Hortos ut Roſa penſiles
Veſtit plurima, quæ puniceis micat
Longè ſplendida frondibus,
Eſt malo Sodomæ par, oculo tenus,
Tangas, in cineres abit,
Et plantæ penitus ceſſat hypocriſis.
Sic eſt: illa chariſmatum
Fulgens metropolis, vultus, amabilè
Qui ſplendet, ſimilis nitet
Pomis, quæ intus alunt toxica, ſunt foris
Gratis ſcripta coloribus:
Sint quamvis Helenæ munera, videris
Defloreſcere gratias;
Qui labris habitat præcipiti lepor
Caſu defluet; aureus
Si fortè exciderit crinis, adulteris
Hunc Poppæa Neronibus
Mittat vendibili turgida muneri; at
Primo temporis impetu
Carpetur, vidua ut frondibus Arbutus;
Caſtæ quis Thamaræ decus,
Ammon qua perijt, neſciat inclytum?
Scruteris cinerem, & vide
Num quis ſplendor adhuc hęreat oſſibus,
Quæ diviſa cuti manent
Inter terrigenum rudera parietum:
Faſtoſæ ultima pulveres
Formæ ſunt elementa: his digito imprimas
Hæc: ſunt hi cineres, erant
Fumus cætera, ne te ſuper evola,
Sed limi fragilis memor
Marmor ne polias in cinerum decus.

Cal-

Calcat gulæ faſtum

ODE IX.

AD P. IGNATIUM TELLINUM SOC. JESV.

Cum inter domeſticos parietes de jejunij legibus in ſtudioſorum corona diſſereret.



Hic hìc prandia divitum,
Et preſſas dapibus ſternite Cæſarum
Menſas; protinus atteram
Luxùs barbaricos, inſequar & Gulæ
Faſtum: fronde ſub hoſpita
Me quæſita juvet cœnula; judice
Non damnata Panætio;
Ter Veſuì lacrymas potet in integra
Gemma Biberius Mero;
Non ſaltans pateris Liber in aureis,
Non præceptor edentium
Parcæ me removet finibus indolis;
Inclementia turgidus,
Diſo quiſque petat carmine ſidera

M Si

Si Solem furiet Leo,
Immitis segetes urere Sirius
Lentis si velit ignibus;
Quin florum viduas increpet arbores:
Quid fœtus tener excidat?
Quid non deproperent poma? quid imbribus
Fraudent sidera vineas?
Quid sorbere juvat pocula Candiæ,
Aut Florentia quæ premit?
Autumnique pyrum mandere transfugam
In brumæ medio? aut botrum,
Huc quem nauta Cypro transtulit Insula?
Quæ sint præmia pauperum
Nobis Attilius Regulus indicet;
Illi ter placuit gravi
Infuscare manum vomere splendidam: at
A stiva laceræ manus
Firmavere spei culmina publicę;
Rursus dextera ferreum
Mox non erubuit flectere vomerem,
Postquam par Ciceronibus
Clavum Romulei torserat imperi:
Grandi curta sub Æsculo
Illi cœna fuit, cujus ad arbitri
Umbram regna quieverant:
De partis statuens vivere laudibus
Non multæ studuit dapi:
Sprevit Romuleæ fulgura gloriæ
Dives prædiolo, tenax
Quo vivebat avus: plenus erat sui:
At nos publica rustico
Fortunę impetimus munera jurgio;
Nobis immodicas opes,
Et quamquam uberibus rura fidelibus

La-


Lactat, dona repellimus,
  Si non ſtulta Midæ fabula vincitur,
Et Croeſi cumulos ſupra
  Creſcit fatifero lacte pecunia:
Sors eſt dura, clientibus
  Ni quas donat opes auferat urbibus.
Altùm quippe doles, inops
  Quod non de ſpolijs creveris omnium.
Vitæ dſcite Proſperum,
  Calcat qui veterum more Cupidinem,
Qui contentus amabili
  Potu, quem tribuit dives aromatum
Europæ uſibus India,
  Mercem Cacaico nomine nobilem,
Qua ſolertia Mexici
  Magnas Italiæ delicias premit:
O ſi crapula Principum
  Poſſet lautitias lingere pauperum,
Faſtu ſperneret improbo
  Præſentem uſque ſuis ingenijs gulam,
Ne ſuccumberet impotens
  Commotis ſtomachi ſeditionibus,
Actus qui rabie dapis
  Dum vinci queritur luxuriæ famem,
Cælum ructibus inquinat,
  Regaleſque vomit crudus in hoſpitum
Menſas quod prius hauſerat:
  Hinc rurſus ſtupido gratia gutturi
Inter fercula quæritur;
  Nec ſic dura epulis nauſea demitur;
Si conſtantia faucibus
  Magno ventris erunt præmia turbidi,
Guſtùs delicias brevis
  Mentitis minimùm crede ſaporibus.

Eloquentiæ Rhodanus.

ODE X.

AD P. JOANNEM RHO,

Cum quartùm Neapoli in templo Soc. Jesu per Cineralia concionaretur.



CUrvata qualem culmina montium
Pindum salutant vertice supplici,
Amnesque Permessum minores
Grandiloquis venerantur undis;
Amœnioris rhetores indolis
Tibi sonorùm plaudere gestiunt:
Natura cum finxit Joannem
Rho, Rhodanum simulare novit;
Sed arte vincis flumina, perspicax
Sic illa clamat syllaba, nominis
Illustris appendix, loquelæ
Nobilis ingeniosa vindex;
Cui Tusca latè nomina serviunt,
Et vis loquendi Romula, quam sales
Sectantur obliti nocere, &

In-

Ingenuæ famulantur artes;
Remo volantis qua ferar ingenì
Cymba? vel auræ flatibus ocyùs
Portabor, ut detur profundum
Eloquij ſuperare flumen?
Ut unda ripas mordet? ut oſtio
Lyram æmulatur! qui lepidi fluunt
In verba rivi, dum loquaces
Aure bibo ſitiente lymphas?
Qui ſponte fluctus in numerum canunt?
Rho quantus agrum pectoris, ingenì
Et arva fœcundas fluento
Nectaris, ut beat illud urbes,
Dum concitata voce bibentibus
Turbis in aures plurimus influis!
Ut geſtit hauriri! ut nitentes
Unda jacit pretioſa gemmas!
Muſas amantis tu mihi limpidus
Fons Hippocrenes, mirus Acidali
Et tu latex, è quo leporum
Mente traho, venerumq; ſuccos:
O ut renides currere patrio
Non fonte flumen degener, obvios
Ut ferre truncos, ut ſupinis
Stipitibus dare dorſa gaudes!
Ut nunc rotato leniter agmine
Sententiarum præfluis! ut tui
Nunc ſplendidum miraris æquor
Nunc rapido vada ſpernis æſtu!
Et qualis Hermus non patiens gravi
Se ponte frangi, Phœbus ubi nives
Laxavit, ille auro tumeſcit
Sub liquido, tabulaſque dorſo
Differt rebelli, quà vitrei nitet

Crateris æquor, ſic procerum ferunt
Mentes te inundaſſe, & profanas
Attoniti rapuiſſe vulgi
Aures: diſertæ quàm procul audijt
Exæſtuantes indolis impetùs
Spectator, increſcentis altùm
Ingenij recreatus undis!



Vbi rus patrium ibi Pausilypus.

AD P. ANELLUM BRUNUM

Soc. Jesu

Quem ad villam in Atellano natali solo positam invitat.



PAusilypon petat ille, natantia tecta, superbis
  Et æquor oppressum ædibus,
Leucopetræ velit hic viridaria fœta ligustris,
  Aut Herculani litora;
Sylvam amet hic docilem varias simulare figuras,
  Hortos at ille pensiles;
Tangit Atellani mihi pectus gloria ruris,
  Largo decori pampino:
Me natale solum Cæli dulcedine lactat,
  Plenoque glebarum ubere:
Civica turba procul, fido comissa Melampo
  Nos villa poscit innocens,

Hanc

Hanc Clanius, trahit à claris qui nomina lymphis,
Suique constans, alluit:
Hic Genio Curarum alacres ducente choreas,
Inempta sumes fercula,
Non operosa gulæ donabis edulia, docto
Sed quæ nihil debent coco,
Nō gemmæ, sed vitra dabunt tibi splendida Bacchū
Et creta, non aurum dapes:
Dulce caput mensæ lectis encarpia fragis
Sepulta sacchari nive
Excipient, sed fraga suos rubicunda per hortos.
Quæ Phratta distinguit Minor,
Fructibus & tellus, & claris dives alumnis,
Suoque Bruno clarior,
Quas felix gignit Campania, deliciarum, &
Pagorum ocellus omnium,
Quos videt in viridi sublimis Atella theatro,
Sirenis altrix inclytæ;
Gentiles dabimus lacero cum cortice ficùs,
Et lacrymantes unicè,
Post aderit flavo splendens ficedula collo,
Milio necata plumbeo,
Atque calens libum quod nec damnetur Ofello
Horatiano judice, &
Brassica quæ latè bullato jure natavit,
Teneroque thyrso nobilis,
Ultima puls veniet foliosis splendida crustis,
Palumbe torquato tumens,
Extremis aderunt non magna tragemata mensis
Sed quæ fragrant Moscho pyra,
Et quæ Lucullus vexit Cerasunte, pudoris
Quæ virginalis admonent
Poma, simul quæ misit Alexandrea coloris
Hùc Chrysomela divitis;

Tor-

Torret ubi Cœli medius præcordia Phœbus;
  Alto feretur è gelu
Prætumidus cucumis, secto qui ventre rubescat,
  Suoque in igne frigeat;
Accedent dapibus rugæ sine crimine frontes,
  Cultusque justo mundior:
Sed mihi Calliope oblitas jam vellicat aures,
  Et concinamus imperat,
Ut Cererem hinc Pomona veretur, ut inde Lyæum
  Secum, colono judice,
Certantes, acuit pleno certamina cornu
  Spectans ab alto Copia,
Sed formosa levem superat Pomona Lyæum,
  Ceres Lyæo vincitur,
Flora suæ Cereri cedit, non invidet ipsum
  Sed Flora Pesti Lilium, &
Quod fortunatæ nec jactant Fertilitatis
  Vel hospitales insulæ,
Rusticus hic sterili viduatas arbore vites
  Novæ maritat Populo,
Populus amplexum vitis dum poscit, ob auras
  Uvis susurrat ebria,
Fraxinus expectat teneros propaginis annos,
  Vocatque sponsam sibilo,
Propago interea vicinæ admurmurat Ulmo,
  Poscitque in umbra conjugem;
Illa maritales non respuit improba tædas,
  Et mota ventis annuit,
Mirus amor! totidē linguis quot frondibus arbor
  Adulta quærit nuptias,
Et, Fauno mirante, ineunt connubia trunci, &
  Tangit Cupido stipites;
Hoc mea conjugiū, atq; hos frondentes Hymenæos
  Clio, ligabis carmine;

Cam-

Campus ubi agricolis triplici cum fœnore reddit
Commiſſa ſulcis ſemina,
Vina Dicarchæo ſuperat lacrymantia prælo,
Aut preſſa Surrenti lacu;
Non ruit è nebulis inimicus meſſibus imber,
Aut grando ſæva vitibus,
Sed vires Aquilo, tepiduſque effœminat Auſter,
Et in Favonios migrant;
Degenerantque nives in rorem, dulcè nitentes
Ut uniones exprimant:
Has prope blanditias obtuſam duceret aurem
Si vel daniſta Fulvius,
Linqueret infuſos alieno ſanguine nummos
Ut ruris hoſpes viveret.




Gur-

Gurges, & fons eloquentiæ.

ODE XII.

AD FLAVIUM GURGUM

Disertissimum primi ordinis causidicum.




O Flore Flavi candidior nivis,
Longè sonanti flumine plenior,
Ut fonte cunque se diserti
Gurgitis explicuere voces:
Non Tulliorum pompa nitentibus
Illusa verbis exuperat tuæ
Fluenta linguæ, qua docente,
Attonitus tenet ora judex:
Hortensius si viveret, is tui
Stuperet altam fontis originem,
Et Baldus ipse, te loquente,
Lucidior tua dicta plaudit.
Miratur & se Bartolus eloqui
Tuo ore major, dum tonat altiùs,

Fulgent & in tuis per urbem
Splendidiùs sua jura chartis;
Quin dicta gemmas Rhetoricę putat,
Suis ut addat psellia brachijs,
Ut possit ornatu loquentis
Divitias superare Romę,
Tu Roma nobis, tuque Fluentia
Sententiarum delicijs scates,
Cui labra post Gracchos Suada
Rore suo rediviva sparsit;
Se jactet Hermus divite splendidus
Spumà lapillos volvere lucidos,
Tu major insurgis, rotundis
Dicta tropis pretiosa vibrans:
Hinc mentis expandens cupidos sinùs
E Flaviani murmure Gurgitis
Affusa te circum juventus
Auriferos bibit aure fluctùs,
Aurumque cymba convehit ingenî
Mox & Pyropos, & laticis jubar
Miratur acclinata fonti
Gurgitis insatiata potu.



LI-



LIBER VI.

Cælum Aulicum

ODE I.

Ad Eminentiſs. Dominum
D. IGNICUM CARACCIOLUM
NEAP. ARCHIEP.



Estne bono quiſquam fallaci ut gaudeat? aulâ
Quantum doloris fulgida
Frontis in arce tegit?
Infido ſimilis, latè dominatur amicis
Cum fluctibus malacia,
Enitet illa mari!
Aſt ubi turbavit, tempeſtas nulla furori
Inſana par eſt aulico,
Cum vomit ore probra

N Hor-

Horrisono, vultus cum fulmine terret iniquo,
Quod Livor atris ignibus
Fingit, ut Jra vibret.
Credite formoso splendentia sidera vultu
In Regiæ nitent polo,
Sed quoque monstra; suas
Nec tantùm pelagus, sed habet Sirenas & aula,
Scatens in Orbem fraudibus
Sit licèt illa Polus:
Muriceam chlamydem, sed non agitata videtis
Circum quot umbras pectora
Purpura clara tegit.
Lugonem rerum cum cardine sisteret aula,
Ad purpuræ sic nuncium
Palluit, ut subitum
Deliquium passus moribundo fleverit ore,
Ad fulgur ostri territus
Horruit auspicium
Flammarum, timuitque sibi, ne missus ab Orco
Adesset ignis: contigit
Me Domini digitus,
Dixit, & expavit, ferret quasi purpura flammas;
Atqui sciebat cordibus
Quas parit illa faces:
In mentes quantum fumi illo surgit ab igne,
Quot inde manant lacrymæ, &
Splendida dona fugit.
Ignice, tu major, speciosis purpura flammis
Tibi, nec urit pectora,
Nec fugat arce tui
Virtutes animi, blandos tu fortior ignes,
Quos aura vulgi ventilat,
Frangis amore tui

Nu-

Numinis, & tumidâ fumi nec tingeris undâ,
Captus nec auri lumine
Inter amica doli
Exerras Cœlo, in folium tibi tunditur aurum,
Dias ut ornet iconas,
Ut lapides decoret;
Ut per celsa micet templi laquearia; testis
Quòd nulla te vincit manus,
Callida muneribus,
Divitijs armata, tuos ut perfida sensûs
Evertat, oris subdolo
Nec tibi corda sono
Sirenes rapuere, piæ quæ finibus aulæ
Intaminatis exulant,
Dum tua sceptra tremunt;
Non avidas intacta timet tua purpura blattas,
Cælestis hanc tinxit pudor,
Quo tùa vita nitet
Tam procul à pravis nebulonum dentibus, urbes
Quos otiosæ nutriunt
Sanguine vipereo;
Nostra nec aula pavet crudelia monstra, minaci
Quæ sacra frangit Herculis
Clava vibrata manu.



Inter feras innocentia.

ODE II.

AD D. FERDINANDUM CARACCIOLUM.

Ducem Ajerolæ, &c.

Cui commendat venandi studium, quo dum exulamus ab urbibus longè sumus à vitijs.



Millo Lyciscam ducite, fervidum
Cito Melampum quærite sibilo,
Nèc desit Umber, pertinaci
Dente celer lacerare verres;
Fave Molossis, ò nemorum potens,
Et offer apros, Diva, clientibus,
Et figat ut certùm sagitta,
Luce nemus meliore spargas:
Audite, cives, dedecus urbium,
Avara vulgi mergere sanguine
Qui corda gaudetis, nefando
Atquè animam sepelire luxu;

Est

Est aura ruris dulcior, intima
Et turbulenti nubila pectoris
Serenat aspectu, paritquè
Innocuos nemus omne mores,
Feras & inter dedidicit feros
Diana ritùs, & dea fontium
Evasit, in sylvis Apollo
Emerito veneratus arcu
Pythonas inter, monstra vel horrida
Adeptus aras. ergò micantia
Vel astra, vel sylvas, relictis
Urbibus, incoluere divi:
Seu quę benigno planta dedit sinu
Juvat patenti carpere dexterà;
Procul sed à flammis, inemptas
Seù placuit celerare cœnas;
Seu teste Cælo, sumere ferculum,
Quod ipse torres vel facili manu,
Inelaboratum popinà,
Atquè gulæ sine lege carpis:
Seù glande Cervos urere plumbeà
Progerminantes cornibus audeas,
Quos verset infixos ad ignem
Fagineis verubus satelles,
Per ipsa quantum viscera labitur,
Et quale stagnat pectore gaudium,
Infundis ut Bacchum palato,
Nec cyathi timet ansa virus!
Unum vel ornans helluo ferculum
In urbe, totum vel patrimonium
Devastat, ut noctu per amplam
Cum sociis epuletur aulam,
Quod obligurit, reddat ut in sinum
Sodalitatis, crudus, & impotens

Farcimen obdormire cœnæ,
Dum ſtomachus furit auctus æſtu:
Quis innocentis præmia computet
Venationis? vir ſimul ac feras
Transfigit audaci veruto,
Monſtra ſimul petit, obſoleto
Quæ ſub receſſu pectoris excubant,
Mendaciorum ſtrangulat agmina,
Commenta, Livores, Rapinas,
Ingluviem, Veneremquè cædit:
Ecquis ſagittę neſciat impetum,
Transverberat cum libera belluas,
Sternitquè fatali volatu?
Sed pretium meret illa majus,
Cum ſępè cuſpis fœda Cupidinis
Telo Dianæ frangitur aſpero,
Arcuſquè venatoris arcum
Sæpè cupidineum retundit:
Quin altiorum cum juga montium
Subimus, Æther fit propior, plagas
Intrare cæleſtes anhelum
Pectus amor redivivus urget!
At belluarum roſtra minacium
Venator audet cernere, congredi
Nec horret; hæc formido grata:
Sed Timor, & Dolus, & Libido
In urbe regnant, monſtra ferocibus
Pejora Pardis: ſanguine civium
Graſſantur hæ peſtes, opima
Regna ſolent furiare, & urbes
In bella claras mutua dividunt:
Sed & vagantur numina rupibus,
Ut æmuletur ſylva Cælum
Urbis ad invidiam: Napæas,

Pa-

Panes, & ipsos fert Satyros nemus;
Gaudetque Juno, & Juppiter Æthere:
Cuncta ergò vel Polus, vel altæ
Numina progenuere sylvæ:
Venator acrem Pamphagon educat,
Et suspicacem naris Oribason,
Nutritur aut feras odoro
Certus Hylax reperire rictu,
Contenta parvæ turba sequax dapis,
Quamvis tenaci subnigra pollice
Oblata sit Ceres petenti
Offa placet, licèt illa vilis;
At civitatum qui bona devorent,
Alunt trifauces mœnia Cerberos:
Quin axis astrorum coruscus
Decideret, nisi fabulosus
Immota stellis terga ruentibus
Præberet Atlas: sustineat Polum
Immane cum montis cacumen,
Quid solidi voluere vulgo
Notare vates? ni pateat brevis
Quòd è jugis ad sydera transitus,
Venator ut possit pusillo
Empyreum superare saltu:
Spissis nigrorum de nemorum comis
Dum manat horror, corda timoribus
Dum sylva furtivis lacessit,
Nos docuit trepidare Numen:
Venator alget dum procul oppidis,
Sic nulla secum fert vitia urbium,
Discurrit, urbanæquè fraudis
Egregius procul errat exul.
Hac arte montes Ajerolæ tenes
Dux, à Dianæ cuspide fulgidus,

Utcun-

Utcunque te rapit timendis
Ira feris viduare ſylvas:
Parum ſed eſſet, pervia dexteræ
Tuæ Leones ſi Nemee daret,
Tuæque virtuti pararet
Terribiles Erymanthus apros;
Tu Sole Sylvæ pulchrior hoſpite,
Formidoloſo fortior Hercule,
Ni Juno deſit, bellicoſis
Quæ manibus ſua monſtra gignat.



In Hagam vicum totius Hollandiæ nobilissimum cum novis molium substructionibus surgeret.

ODE III.

AD P. OCTAVIUM CARACCIOLUM Rectorem Colleg. Neap.

Cum magnificis, tum triclinium, tum bibliothecam operibus extrueret.



Huc Hollandia turgidas
   Naves marmoribus dirige, Civitas
Surget splendida, quæ suo
   Gaudebit populo vincere Belgium:


Altè

Altè jacta potentiæ
  Fundamenta solent sæcula spernere:
Postquàm læta Semiramis
  Centùm lata pedes mœnia struxerit,
Ac admoverit Ætheri,
  Rhedarum duplici mole capacia:
Magnis concita motibus
  Tellus excutiat mœnia si valet
E dorso Babylonica.
  Caudinis positi in faucibus aggredi
Samnites Latium audeant,
  Et mulctare jugo colla Quiritium,
Nec vis ulla nocentium
  E terris poterit pellere Samnium.
Lybs è montibus Annibal
  Armato properet milite fraudibus;
Ac certare potentiæ
  Romanæ populus calleat Africæ;
Et Carthagine fortior
  Quis regnum valeat perdere Punicum?
Heu caligine naufragus
  Mortalis nimiùm fallitur! urbium
Tot dispersa cadavera
  Calcant nunc tacitis gressibus hospites,
Et virga, aut digito notant
  Magnarum in tenui pulvere turrium,
Risu non sine siderum,
  Carthago fuit hìc, hìc Babylon stetit.
Formidabile Samnium
  In toto labor est quærere Samnio:
Non dignoscere Tullius
  Posset si tereret rursus Aquariam:
Surgens Annibal Africà
  Altis Seplasiam gressibus ambulet,

Et

Et si palpebra judicet,
Posset metropolim dicere sordium
Quæ transversa fuit via
A fatis posita, ut sisteret ambitum
Pœni, vincere callidi
Quidquid grande solo staret in Italo:
Victor de Stygia Milon
Percurrat patriam gente, nec inclytæ
Urbis mœnia noverit:
Vivens hunc iterum spiret & aërem
Nec jam Smyndirides sciet,
Olim quà Sybaris Regia floruit
Latè delicijs madens:
Si visat Solymæ mœnia dixerit,
Hæc magna est Babylon, fera
Miratus Salomon pectora gentium,
Linguæ dogmata Thraciæ;
Fœdis relligiò barbara moribus
In leges adeò strepit,
Et terret rigidis nutibus advenas.
Sic vos, natio pertinax,
Dum Cælo propiùs mœnia ducitis,
Hæc urbs & Babylon erit,
Jactet saxa, brevi mole ruet sua,
Sicut pulpita dissident,
Cautes calce procul dissilient, tenax
Quamvis applicet Hæresis,
Non hærent lapides parietibus diù.
Solùm quam Pietas struit,
Quæ vicina tumet machina nubibus,
Spondet vincere sæcula,
Thermis nobilior, quas posuit Nero;
Nam sublimis in Æthera
Octavi, duce te, surgit, & auspice,

Te Rectore; suburbium
 Ditis post ubi fundamina viderint
Formidantis; & admonent
 His quod nulla nocent tempora mœnibus,
Quæ Caracciolus admovet
 Latè sideribus, servet ut hospites
Dilectos propior Deus.
 Excelsos Capuæ vidi ego fornices,
Quos suspexit & Annibal,
 Nostris sed poterunt cedere molibus.




Su-

Supra temporum inſolentias germen.

ODE IV.

AD D. AGNELLUM CARACCIOLUM

Unicam Bariſcianicæ domùs ſtirpem.



INclytæ ſtirpis geniale germen,
Surge, ſe pronis tibi ſylva ramis
Curvat, & centum parat è perenni
Fronde coronas:
Ambiat rivus pede te loquaci
Tangere, ut creſcas, Platanuſque culmen
Solis opponat radijs, ut æſtùs
Spicula vites;
Te velint Palmæ, vel ament Olivæ,
Debitum ſtirpi decus, ut ſub umbra
Nobili vivas, cui Laurus addat
Regia frondes,

O Quæ

Quæ sibi sparso redimivit auro
Stemmatis celsos apices, sub armis
Alta cum Sardi tritavus teneret
Culmina Regni

Quòd tui curam sibi poscit Æther,
Supplici Cælum tibi servit aurà,
Labra dum puræ tua rore lucis
Sidera lactant:

Nacta sed sudum precor, aura, Cælum,
Parciùs spira, nocet aura nato
Germini, totas ubi movit alas
Fortiùs aura;

Audit ut lapsas trepidare frondes
Per nemus vates, timet eminenti
Flosculo casum, nimis unde campi
Gaudia pendent:

Phœbe, seu sævo furis in Leone,
Seu tumes spumà Canis æstuosà
Germini fervor, precor, ille parcat,
Qui nocet arvis:

Sola tu tangas, Apis, innocenti
Flosculum rostro: potes inde totas
Quo bees urbes, operosa fulvum
Sugere nectar.

Quid doces, Clio, trepidare plectrum?
Mitte scitari, timor unde spiret,
Ramus hic nimbos, pluviasque spernens
Fulmina tundet,

Doctus annosas superare Quercùs
Artibus patris, super ire nubes
Discet, & Samnì loca bellicosi
Proteget umbrà.

Potentior fulmine calamus.

ODE V.

AD D. HECTOREM CARACCIOLUM

Olim incorruptum in Curia Regis Vicaria Judicem, nunc invictum causarum patronum.




IN mea nunc totus poterit descendere Phœbus
Horatianus pectora,
Non satis est nostro depromere pectore carmen,
Quod Hectori sacret suo;
Nam tua causidicis cum splendet pagina curis,
Calamoque tangis sidera,
Majestas meminit sese Baldina loquutam
Nullius arte digniùs:
Indefessa adeo legum te cura fatigat
Ne rebus excidat cliens:

Eloquijs crevere tuis oracula, cautus,
Quæ scripsit Orbi Bartolus:
Ingenuas stupet ad veneres tua pagina, fortes
Stylo lepores insident:
Ast ubi plus viget ingenium, plus scientia regnat
Vigore mista patrio?
Est ubi plus Nitor illimi sociatur Honesto
Et se rigore temperat?
Cum sapiens calet ira, valet quis frangere mentis
Justum ruentis impetum?
Totus in errorem gravis, igne potentius ardes,
In tela qui Cæli migrat;
Juppiter aërias cum terret fulgure turres,
Sternitque montes fulmine,
Pyramidum vel saxa ferit temeraria, tollunt
Cum summum ad astra verticem.
Sed tumidi violens stomachi cum sederit ardor,
Pungente seu placet stylo,
Ne stultàm tumeant, humiles haurire cruores
E plebis insana cuti,
Hæc non cura minor, calamus ferit altiùs hastâ
Germana quam vibrat manus:
Sive Theoninis lacerare molaribus audes
Potentiorum crimina,
Inque vetustatem famæ condire pudendos
Mores Bionæo sale:
Sic petit unda minax latrantis saxa Charybdis,
Cum sævus immugit Notus.
Magna quot excepit, te judice, Curia plausùs?
Quis integritatis favor?
Munera cum retro tua pelleret aula, secundo
Vel æmulorum murmure.
Hinc toga regalis lato circumdata clavo
Ornare te longùm ambijt:

At

At si vera tui pandunt præsagia vatis,
Phœbi movente Numine,
Auguror: Adjectos inter Collega Regentes
Quid intonabis altiùs
Olim quàm tonuit famoso Fulvius ore,
Qui Regià fulget togà,
Et consanguineo spectandus stemmate splendet;
Loquace scripta pollice
Jura tuo vulgat verax dum Fama per Orbem,
Te Pannaranus audiet
Virgineos ultra montes, Torecusia pubes
Tuis nitescet legibus.
Te Taurella vehet festo clamore per auras,
Te Sanseverinus feret
Lætus ad heroas plausu, Martina ter amplis
Ad astra tollet laudibus,
Et plaudent proceres quacunq; Caracciola regnat
Felix dynastarum domus.



Nullis virtus damnata ruinis.

ODE VI.

AD OCTAVIUM CAPYCIUM SCONDITUM:

Cum Regij Consiliarij toga insigniretur.

Dum vates severioribus addictus studijs post malam valetudinem inviseret Campanum agrum suæ conterminum patriæ.



AT huc lapillo quot quot estis,ò dies,
Albo notandi currite;
Huc innocentes, teste sub Cœlo, joci,
Huc convolate, Gratiæ:
Ut ridet agri mite Campani solum!
Ut splendet aer altiùs!

Qui

Qui me jacentem, & penè funeri datum
 Dulci beavit lumine,
Et me mihi redonat, irruentium
 Dum plebe Clamorum procul
Severiorum linquo Musarum choros,
 Doctis solutus litibus;
Antiqua sospes lustro Verolascia,
 Domumque Divorum hospitam,
Fusamque longè calco Cryptoporticum,
 Clauso rigentem frigore,
Quæ pestilentem dum repellit Africum,
 Hyemi nec Æstas invidet:
Cum sæculis æterna certat, æmulis
 Intacta Meta curribus;
Miror Theatrum heroe lætum sanguine, &
 Martis superbum gloriâ,
Quod Roma princeps invidebat urbium
 Luxùs, & artis æmula,
Cum frangeret Campana virtus belluas,
 Ut bella ferre disceret
Inter ferarum ungues, & ora, fortium
 Cruore sparsa civium,
Hìc pressa morbis membra dum Thermæ calent
 Vivis levare fontibus,
It delicatus illàc Piscinæ liquor,
 Et parcus hauriri silet:
Stat inde Circus, & recusat invidæ
 Antiquitati cedere:
Ut rosa susque deque saxa lividi
 Dentem fatigant temporis!
Effossa vivunt marmora, & spirant adhuc
 Statuæ sepulchris erutæ;
Interque membra rupium, secta è pede
 Viciniore montium

Dum

Dum terra vernat, ac aperto germine
  Irridet humanas opes,
Si volvo latè palpebras, ſcenæ typo
  Typhata viſum pellicit,
Trahuntque noſtra, more Cœli, lumina
  Agri micantes floribus,
Campique Stellantes, quibus odorum ferax
  Illa nituit Seplaſia,
Quæ glacie, & Alpibus indomabilem pigro
  Infregit unguento ducem,
Et mille domuit nobilem pugnis manum,
  Enſemque ſeptum fraudibus;
Hìc ultimos vicina vitæ margini
  Ætas mihi ducat dies,
Ut occidens inter cadavera urbium
  Mortalis haud morer mori.
At quò Capua cecidit, & ignaro pede
  Qantam premo ſuperbiam;
Urtica vicos ditiores occupat,
  Ac tritiores molium
In pulveres dilapſa majeſtas jacet,
  Locique faſtum principis
Lapis caducus calcat, inter grandium
  Disjecta colla turrium:
Polum minaci fronte tacturas domos
  Palmaris herba contegit,
Et præ pudore, quem ruina vel movet
  Indigna ſaxis, undique
Se veſtiunt edera vetuſti fornices
  Jam jam ruentes in caput.
Ità & Corintho inſultat, & Carthagini
  Injurioſo pede pecus:
Stat Roma ſacris fulta martyrum oſſibus,
  Orbis ruinas nec timet;

Sic quidquid altæ ſubſtat umbræ numinis,
  Mundo vel invito, manet.
Amœnus ille campus, Octavi, jacet
  Qui foſſa ſubter marmora,
Tuus eſt, ſuo ſed te vel aſpectu erudit
  Faſtùs tumorem ſpernere;
Dum texta duris marmorum venis toga
  Attrita pulveri ſubeſt,
Et illa nulli temporum cedet, tibi
  Quam rara virtus texuit.
Tibi patebit alter at campus, tua
  Excurrat ut virtus, toga
Cum te Regente dextra Sortis induet,
  Tuis ſed orſam dotibus.



Cer-

Certans cum verecundia
Principis ostrum.

ODE VII.

AD PURPURATUM PATREM

D. IGNICUM CARACCIOLUM

NEAP. ARCHIEP.



Cur, ò poetæ, contumelijs Rosam,
Illiberali somnio,
Et tàm procaci luditis mendacio?
Veris potentem nec pudet
Turpi per Orbem mancipare lusui?
Quæ vos tenet dementia;
Quò tecna spectat fabulosa? candidum
Florem fuisse, sentibus
Ut alba nunc nitescit in suis Rosa,
Vincens nitore Lilia,
Per angiportùs edocetis urbium;
Sed puncta cum pedes Venus

Cruo-

Cruore plantæ ſpargeret ſuo fibras,
Arſiſſe floris purpuram:
Quàm pulchriori luderetis omine:
Audite factum, quo Poli
Ut inter aſtra rideat, digna eſt Roſa,
Roſa fuit ut Deam prope,
Minus pudico viſa Cypri numine,
Tactis pudore frondibus,
Rubore tinxit mox verecundo genas:
Qui flos amabat inclytæ
Frondes coronæ dedicare Virginum,
Hac dote vincens ſidera,
Originem nefas erat tàm nobilis
Turpem coloris ducere:
Regalis eſt at ſplendor ille purpuræ,
Natura quo regnum dedit,
Dum larga florum ipſam coronat principem!
Non ſanguis, eſt iræ color,
Quòd cum niteret virginali germine,
Laſciviente dextera
Libidinoſis applicata naribus
Ornaret impuras manus:
Si diceretis, ò jocoſa natio,
Dulci quod igne frondium
Flos ille fulva purgat auri fragmina;
Collecta quæ ſinu gerit,
Et liberali ruſticis donat manu,
Splenderet arte fabula;
Illius eſſe ſed cruorem numinis,
Lætum juventutis gregem
Quod impudicis faſcinavit oſculis,
Flammis & Orbem torruit,
Abominata ſæculis eſt nænia,
Et invenuſtus eſt lepos,

Et

Et proſtitutæ mentis eſt delirium;
Vates, jocari non pudet,
Ni fædet albas puritatis paginas
Laſciva muſarum charis?
Jurate per canora Phœbi numina,
Niveam ſtetiſſe jam Roſam; at
Quantò nitentiore Pindi fabulà
Roſæ adderetur gratia,
Et innocenti major oſtro dignitas,
Si non puderet dicere;
Ipſis erat candentior Cycnis Roſa,
Vt virgo ſponſa Lilij,
Jactans nitores in Smaragdis frondium,
Supraque plebem germinum;
Sed cum ſtetiſſet virgines juxta nives
Matris puellæ Numinis,
Talis Mariæ virginalis extitit
Candor, nitebat quo ſinus,
Roſa ut volumen liberale frondium
O Virgo, damnans, dixerit;
En candidata, germen infelix, amo
Tuos honores; limpido
Tu fonte, Cycno, lacte, tu intacta nive,
Tu candicantior Roſa,
Et albicanti purior, vel Lilio; &
Pudore rubuerunt genæ.
Hoc, præſul ardet à colore purpura,
Splendore conſtat quæ tuo;
Tua vita vincit quæ nitore Lacteam,
In hanc migravit Purpuram.

Pulvereus texit duo side-
ra nimbus.

ODE VIII.

AD D. FERDINANDUM CARACCIOLUM Ajerolæ Ducem, &c.

Cum oculos pulvere offensos à venatione referret.



Diana puris terge liquoribus
Umbrata fœdo pulvere lumina
Clientis, ah viden magistrà
Quantus aper cecidit sagitta!
Non certiorem Delos Apollini
Optavit arcum; Cypris Adonidem
Haustis fatigatum pharetris
Non cupijt potiore præda:
Dedisset hostis protinus Herculi
Hoc Juno monstrum, post ubi Cerberon,
Septeno & armatam veneno
Hydram adijt, capitumq; sylvam

Novo virentem è funere messuit,
Donec venenum victa suum bibit:
Hæc pejor horrebat Chimæris
Bellua, Bellerophonte major,
Hanc vicit heros pulcher, amabili.
Feramquè vultu mollijt, ut libens
Manum subiret, & beatis
Sponte sua caderet sagittis:
Latè libranti spicula Najades
Plausere lymphis, plausit Hamadrias,
Plausere Quercùs, cum minaci
Pugnam obijt metuendus arcu,
Formidolosis verticibus procul
Plausere montes, stravit ubi celer
Immane portentum, quod ipse
Vel fugeret Meleagrus audax;
Strictis sed armis fortiùs aspera
Percussit ipso pectora lumine,
Ut illa splendentis sodales
Illa acies oculi petebat!
Tenebricoso nubila pulvere
Quæ languet, instar solis, ubi tegunt
Nimbi reluctantem per imbres,
Per medias radiare nubes;
Adeste, Cauri, per mare Ponticum
Injuriosum fundite pulverem,
Vibrate crudelem per auras,
Inque oculos properate Thracum,
Et Tartarorum mittere palpebras,
Pythonis illo spargite cornua,
Protervus? is cognata claræ
Lumina commaculavit Æthræ!
Is læta frontis sidera splendidæ
Extinxit atro sordidus impetu?

Ina-

Inanis? Auſtri qui rapacis
Ludibrium grave debet alis;
O iſte quantam pulvereus movet
Nimbus procellam! ut pectora fluctuant
Irarum ab æſtu concitata!
Illius ut ſine luce turbant!
Hoc eniteſcant pulvere Cyprino
Criſtæ draconum: cum Furijs placet,
Jactetur hic pulvis per auras,
Indomitum furiare vulgus:
Quid non in ævum, non hominum in genus
Immundus audet pulvis? in impia
Incluſus ampulla minatur
Vel juvenum tenuare vitam,
Regum vel altos ponere vertices,
Vel regna muto ſubruere impetu,
Nomenque, ſtirpemque, ac honores
Præcipiti ſepelire curſu.



Destituta fundamentis moles.

ODE IX.

AD FLAVIUM GURGUM Eloquentissimum primariæ juris prudentiæ cusidicum.

Dum unà cum vate transiret ante Gasparis Romuli calibis, sed ditissimi mercatoris domum, quæ magnis sumptibus feliciter tunc temporis surgebat.



Certant artifices, jugo
  Quo montis veniant marmora, nobilis
Si terræ potioribus
  Abstrusa in latebris marmora quæritis,
Velox Africa montium,
  Ut surgat domus hæc, brachia porrigat;

Ter-

Terræ nam dominus tenax
  Æternare cupit marmoribus genus:
Saxum ferte Caryſtium,
  Lucullique nitet quodquod in inſulâ,
Et ſi quod viridi notâ
  Splendet, plus ſolito candicet hic Parus;
Aurum per laquearia
  Naſcenti radiet ſidere clariùs,
Sit promiſſa perennitas
  Tectis, ac trabibus fortibus à Cedro.
Æternùm heu nihil eſt humi:
  Clio dicta precor provida corrige;
En dum marmora ponimus
  Æquatura ſuis ſæcula viribus,
Dic, hæres ubi gentium
  Expectat domini funera divitis,
Ut poſt fata recogitet
  Hos inter poſitus vivere parietes,
Cælebs ſi dominus perit?
  Aſt undent pueris tecta nepotibus,
Quid prodeſſe palatio
  Poſſunt, ſi tacitis tempora dentibus
Cautes rodere deſtinant,
  Et delere virùm tecta potentium:
Tot florentia palpebris
  Percurre Italiæ littora, videris
Tot prætoria dirutis
  Dilapſa in cineres turribus opprimi,
Latè delicijs loca
  Denudata ſuis, ſplendida cæterùm
Faſtùs neſcio quid ſonant,
  Sed deſerta patent nomina: Tullius
Ad Nolam poſuit larem?
  Qui dici potuit Regia Cæſarum,

Nunc vestigia nominis
  Vix insunt lapidi squallida, & imbribus
Circumrosa ruentibus:
  Qua Lubrensis aquis Massa perennibus
Malis consita Citreis
  Rura æstate beat, quà rigat aureis
Lætas fructibus arbores,
  Quales invideant Hesperidum manùs,
Durat villa, Neronibus
  Solamen tacitis, desererent gravem
Cum Romæ strepitum, jacet
  At subtèr tenui tegmine pulveris:
Hìc squalentia marmorum
  Vicani effodiunt fragmina sarculo,
Hìc & villicus inclytas
  Truncatis statuas naribus eruit;
Summatum ossa Quiritium, &
  Luxùs relliquias invenit æreas,
Quæ tot sæcula sordibus
  Per transacta scatent, & venerabili
A rubigine nos tenent.
  I nunc, ut positis non procul Æthere
Vincas sæcula molibus,
  Et cauti, & lapidi, & credito marmori.
Ponis viribus eloquì
  Tu, Flavi, monumentum arcibus altiùs,
Quod non fulmine læserit
  Descendens pluvio Juppiter Æthere,
Diram nec fera grandinem
  Aut Juno jaculans, aut Notus insolens
Sævo diruet impetu:
  Quod nec sternet humi ferrea militum
Tempestas, ruere efficax
  Latè flammiferis marmora dexteris,

Quod

Quod non invida subruet
   Ætas, magnificis quidquid in urbibus
Fulget rodere pertinax.
   Amphion lapides urget in Æthera
Blandis surgere cantibus,
   Thebas dum docili pariete fabricat,
Fabros ad fidium sonos
   Demirante lyrà: sed speciosiùs
Raris artibus ingenì
   Surgit Gurgitei machina nominis,
Ac tangit prope sidera,
   Fausto dum populi murmure diceris
Nostri Tullius eloquì:
   Qui gurges, vel aquæ limpidus aspici
Te fons exuperat? loquax
   Permessi strepitus cum liquido tui,
Quidquid Calliope fremat,
   Non certare valet Gurgite gutturis;
Addis cum patrimonium
   Lucro, sollicitus parta clientium
Clavis jura trabalibus,
   Ne tentata labent, figere certiùs:
Et felicior Hercule,
   Septeni capitis lis ubi pullulat,
Ictu dividis unico
   Hydram monstrifero germine fertilem:
Te collegia splendidis
   Tollunt laudibus ad sidera, quòd tuæ
Ignatì priùs æmulos
   Linguæ grandisono fulmine fregeris;
Jesu à nomine clarior
   Nunc Lojoliadum jura tueberis;
Hinc clavo toga serico
   Insignita tuas figere spes amat,

Et rursus tibi supplicat
  Olim grande licet passa repudium,
Colli ut margine pendeat,
  Quam prorege palam latiùs explices



Solem nulla procella ferit.

ODE X
IN NAVIM

Quæ D. Franciscum Xaverium ad Indias vexit.

AD P. JOANNEM BERARDUM
Soc. Jesu.

Cum prælecturus in Coll. Neap. Philosophiam Divi Sacellum inviseret.



Francisce, multo sidere divitem
Conscende puppim, lumine sed tuo
Sabere, major; te moratur
Cum populis peregrinus Orbis:
Enavigandum divide Nerea,
Cælestis Argo, funde age fulgura,
Heroa & Indorum patenti
Redde sinu, Oceanique claustris:
Te quippe visà, nubila dissipat
Tempestuosus Plejadum chorus,
Nec imbrium ferax Orion
Diluviem meditatur undis:

Non

Non horret Auſtro non Boreà fretum,
Cauroque pigri fœderis inſcio,
Simul procelloſum remiſit
Typhum Aquilo,pelagoq;plaudit:
Non turbulentùm fluctuat Africus,
Nec bella nigro miſcet in æquore,
Iraſque in Alpinum cacumen
Tranſtulit, ut feriat Cupreſsùs.
Non fluctuoſis fratribus impotens
Jurgatur Eurus, navibus invios
Diſperſit in Taurum furores,
Ut Tilias quatiat trementes:
Ut luce lætùm Phoſphorus annuit
Amica ducens ſidera! turgidi
Ceſſent ut undarum fragores
Immeritas agitare puppes,
Dum vela ſolvit navita littore,
Ut unda plauſu te vocat auſpice!
Ut aura te flabris laceſſit,
Et comites animat carinas!
Ut dente ſævùm ludere doctior
Te Phoca geſtit lambere! dum pede
Delphines alterno renident
Ædomitos redimire fluctus;
Frangens ut alis ſollicitat mare,
Et hinc, & illinc ceſpite crinibus
Ornata muſcoſo choreis
Te celebrat metuenda Piſtrix!
Tantoque puppem ſidere fulgidam,
Cæliquę mores noſcere præſciam
Sirteſque, curvatis & ipſæ
Verticibus tremuere cautes:
Vides ut imo detumet æquore
Sinus Salenſis vorticis immemor,
Pul-


Pulſis ut è ponto procellis
Te placido vocat unda vultù!
Tuis ut Atlas nutibus attremit!
Caputquè longè acclinat! & aurea
Dum poma ter ſpargit per æquor,
Te chorus Heſperidum ſalutat!
Ut fœta multo germine floridùm
Lixana ridens paſcua? ſaltuum
Aprica, te viſo, ſolutis
Floribus explicuere frontem;
Ormuſianis mercibus inclytus
Te portus ambit, divitias tua
Ut luce mutet, qua Peruvì
Exuperas opulenta gazas:
Tuis futuræ, te quoque poſtulant,
Feliciores greſſibus inſulæ,
Sordetque Fortunata ſedis
Fama, carent quia ſorte Navis,
Quæ portat Indi ſplendida gloriam,
Suiquè ſpargens delicias maris
Invitat ad littus carinam
Sepoſitis Erao procellis:
Vides ut altas lætitia movet
Melinda turres! gaudet in hoſpites
Suos ut humanus videri
Barbaricæ ſinus Amphitrites?
Erythra gemmas faucibus evomit,
Miſcens Pyropos læta Corallijs
Subditque ſe tibi ut vehenti
Divitias pretioſiores:
Spreto Solenis transfuga littorre
Te geſtit auro tangere ſupplici,
Per victa dum portas ad Indos
Ætheream freta Margaritam.

Totis

Totis carinam tu quoque vitrei
Regina campi divitijs emas,
  Chorique nympharum frequentes
    Velivolæ famulentur Alno:
Audimur? imà cæruleis Thetis
Emersit undà vecta jugalibus,
  Saltant in Orbem pone currum
    Nereides, tubicenque Triton,
Dux ipsa clavum vendicat ut sibi
Uni regendum! Cymotoe pedem
  Annectit antemnæ, & rudentes,
    Dori, ligas potiore dextra:
Pars mollit æstùs, pars viridi comà
Projecta verrit quà pelagi potens
  Saberus incedit, loquaces
    Pars facili pede pellit undas.
Hæc cymba Divum vexit ad Indias;
Divum, Joannes, tu trahis Ætheræ:
  Cum sæpè post cœnam revisas,
    Magnus ubi stetit hospes, aram.



EPO-




EPODON LIBER

AD REV. PATREM

CAROLUM DE NOYELLE

Supremum Societatis Jesu moderatorem.

ODE I.



EUropæus Alexander cum ſceptra Philippo
Edoctus aſtris traderet,
Carolus ille, ſuâ
Virtute, Auſtriadum claro quàm ſanguinis hauſtu,
Major, decorus lacrymâ,
Quæ peregrina genas

Invasit, nunquam fœdaverat anxia vultum,
Qui cuncta læto moverat
Regna supercilio,
Carolus ille, inquam, fertur dixisse: tot annis,
O nate, missà cælitus
Paco bilance duos,
Immerito Fortuna mihi quos subdidit Orbes,
Si pulsa retro tempora
Providus excutio,
Una nec hora fuit duri mihi pura doloris:
Hac monstra fregi ut dexterà,
Prospera gesta novis
Infestaverunt mea corda timoribus, umbris
Victoriarum, cum mihi
Lamberet aula genu,
Pectoris hæc semper strepuit terroribus aula,
Et parta perdendi metus
Dixit ad arma duos,
Carole, & ipse tuis moderaris nutibus Orbes,
Tuisque in Orbe legibus
Regnat utroque Fides,
Stirps Noyelliadum, Cælo dilecta, per urbes
Cui ter tremendi Nominis
Numine curà datur;
Nec tibi cor audet timor infamare, ter ample
Nam viribus mentis potens
Vincis honorem, & onus,
Qod tibi præsenti n andavit numine mundus,
Te consecrarunt omnia
Post ubi vota Patrem.
Nec veteri Belgæ monstrent in imagine vultùs,
Fumosiores unde avus
Splenduit inter opes;

Illud

Illud ab augusta si discimus indole, frontis
In luce quæ tuæ nitet,
Nobilitate præit
Quæ genus, & proavos, & quæ contemnere gaudes,
Quàm magna servitus, doces,
Grande sit imperium:
Quamvis ingenij felicem, Fama per urbes,
Inter cathedras æmulos
Te domuisse, canat:
Quamvis Palladiæ victorem è litibus aulæ
Regnum Minervæ glorià
Te cumulasse ferant;
Nec celebrem spolijs fulgentia marmora, testes
Victoriarum, postibus
Sculpta nec arma, tui
Quæ proceres Fidei rapuerunt hostibus hostes
Ex quo merentem Carolus
Austriades tritavum
Insignivit amans chiliarchi munere: pestes
Si cordis ardet vincere
Regius iste animus,
Muneribus majora geris si pectora, suevit
Fortuna queis clientium
Tollere ad astra genus:
Dat tibi nec viles Pietas numerare triumphos,
Quæ monstra debellat manus,
Illa tuetur, amant
Quidquid amica tuo committere sidera clavo,
Puppim nec exarmat timor,
Si petat unda latus.
Nomen at ignotos quantùm tibi crevit ad Indos!
Vel unde mussat Æthiops,
Bactra vel unde rigent:

Sole repercussis Oriens miratur ab oris,
Europa felix alteram
Ut Latio dederit
Lucem; bacchentur nebulæ, lux illa renidet
Inane subter nubium
Nescia mole premi,
Dum radiosa stupent Solis cunabula Romam,
Dolentque vinci lumine,
Quod geris eloquio,
Moribus, & vultu; festo Goa murmure plaudit,
Faustàque gaudent insulæ
Voce Philippiades,
Ora frequens latè populo Moluchis, odoro;
Quæ lacrymantur vulnere,
Aurea thura feret,
Ponere Lojolæ modò quam meditaris, ad aram;
Ditesque venas montium
Evacuare student,
Ut Divum decores, gemmis tibi Seres, & auro;
Parem tuis & alteram,
Quæ tua gesta notet,
Officiosa parat meritis Calamina columnam,
Erythra quam ditet suis
Gemmea divitijs:
Dives ab emerita dum paupertate vetustas
Opes, & urbes divitum
Exuperas Arabum.
Te satur humana condiscit cæde Caribbus
Abominatus barbarà
Luxuriare dape
Post ubi tutorem peregrini noverit Orbis
Te, qui tenue vocis potes
Regna movere sono, &

No:

Nobilitare novis squalentes moribus urbes:
Te Chersonesus Aurea,
Cottiara, & Cananor
Te poscit, supra Gangem te quærit & Indum
Sonans per Orbem nomine
Flumen Amazonio,
Te quæ postremo terrarum in margine tellus
Extorris à nostro procul
Exulat Orbe vocat
Indorum, Fideique decus; lapsum Æthere numen
Saxuma te nobis putat:
Fallitur: ipsa fugant
Cum tua jussa deos, socordia saxa, ruinas
Delubra jam tholis timent,
Mysta preces blaterat,
Alba pavent per te stragem dum numina, mœstas
Totis tremiscunt artubus
Et statuæ inter opes;
Natagus horrorem tremebundo è marmore spirat,
In ominoso Fotoqui
Eminet ore pavor,
Xaca fugit pavido Noyellia fulgura vultu,
Formidolosum Caroli
Ad sonitum aure Chamis
Palluit attonità, pernox ululavit Amidas;
Et Tartarorum perfida
Horret ubique tuum
Relligio nomen, trepidas Brachmanes & aras
Spargunt malorum lacryma
Auspice; Pussa timet,
Ne sua, quos parit Europe, per littora mittas
Heroas, assuetos suà
Cæde animare Fidem.

Sed

Sed vocat extremo me Flandria littore Gangis,
Hìc astra dum plausus ferit,
Ore Cupido fremit
Sordidus incesto, & lasciva Licentia, frœnos
A Vaticana dum timet
Relligione, strepit:
Hìc Noyelliadum dextris assueta recidi
Inter Gradivi turbines
Hæresis atra Stygem
Territat insanis longè clamoribus, Hydra
Ferax dolorum funditus
Interitura gemit:
Funditus interitura gemat, te sentiat hostem
Vel unde grassantur nives,
Vel calor unde furit.



Neapolitana deliciarum colonia.

ODE II.

IN CAPIMONTANUM

Celebrem in agro Neapolitano villam:

Quò per Octobris ferias P. Carolum Paladinum Soc. Jes. suum in poetica magistrum invitat.



Tiburis illa sui ter laudet Horatius arva;
  Blandosquè fontium sinûs:
Jussus & ingenio celebret sua rura Tibullus,
  Et igne ridentem domum;
Enthea Melpomene, nimiusq; in pectore Phœbus
  Me rure raptat altiùs:
Est hac non procul urbe colonia deliciarum,
  Quam Montis appellant Caput;

Non

Non mõs tristè riget,trepidusq;in frõdibus horror,
Nocet nec umbra vatibus ;
Ruris frontem ipsam triferæ sub limine vites
Dulci coronant palmite,
Sed dextrum latus ut Titan exactus Olympo
Sero salutet lumine,
Lævum luce nova currùs venientis inauret,
Simul refulsit oppidis.
Quercus in amplexu villæ stat, frondea gaudent
Altùm salire brachia ;
Explicat ipsa comam,& plantas superemineț omnes
In Cælum itura vertice ;
Se tamen obliquat transversis pendula ramis,
Umbras ut irroret solo:
Huc nos deducet submisso numine Faunus,
Ut rustica donet dape,
Non pretiosa gulæ fumes ludibria, regum
Cibo nec eludes famem:
Ornabit mensam niveos contorta per orbes
Recens sed à flammà Ceres,
Perna vetus fumo dudum explorata camini,
Ficusque blattæ nescia,
Prunaque subviridi latè turgentia succo;
Nativa ruris fercula:
Grandius artocreas, minimùm quod dente labores
Bis, terve duro frangere,
Atque autumnales tenero cum cymate caules,
Jure in suillo qui natent:
Urceolus non gemma cavis manantia cellis
Dabit Lyæi munera:
Non mensam repriment bellaria lauta secundas,
Sed uva, quæ Moschos olet,
Et pyra, quæ meliùs non insererentur Ofello
Horatiano villico,

Per-

Persica poma, aperit facilis quæ dextra, modestè
 Odora ventris præmia:
Post ubi sublatis dederunt convivia mensis
 Locum Loquelæ jactibus,
Illecebris animosa suis satis ampla jocorum
 Virtus poetis est seges;
Sive Cytoriacos hastis devoluimus orbes
 Torni nitentes à rotâ;
Ante, retroq, volat Buxum tornatile, multo
 Lusore fervet porticus:
Sive venusinis amor est assurgere plectris,
 Seu nos Thalia respicit,
Pagina pura, stylus nitida est argenteus arte,
 Perfusa verba nectare,
Incidunt quernis Satyri data carmina libris,
 Et ruris addunt fastibus;
Non ea sunt Cereri, sed rura fidelia Baccho,
 Pomona certat Libero,
Sponte maritandis adolescit vitibus albâ
 Umbrâ salubris Populus,
Hanc prope frondescit, sed adultæ assibilat Ulmo
 Propago vix dum nubilis,
Purpureus Salicis currit per brachia palmes,
 Et stringit ulnis conjugem.
Ingenium lauda: tellus non plenius uber
 Largitur Albæ vineis;
Illa per autumnum Vesuì non invidet uvis,
 Aut Faustiano nectari,
Cedit nobilitas botri generosa Falerni,
 Et læta Gauri pampinus:
Ut propè translatam dicas florescere Cypron,
 Solivè dilectam Rhodon,
Credas Alcinoi postquam pomaria fato
 Exaruere temporum,

Hor-

Hortenses & opes, & dulci ditia succo
 Huc poma pleno Copiam
Cornu transfudisse, & terram prodiga risu
 Disseminasse florido:
Hinc vaga Flora suo Zephyro contenta colono
 Coronat hoc montis Caput.
Ast ubi plus tepeant hyemes, plus frigeat æstas,
 Annique jura proterant?
Est ubi tam Soles frigus, tam frigora Solem
 Frangant, & invertant vices?
Non Helice teneras corrumpit frigore frondes,
 Insanus aut torret Leo,
Pestifer intactas segetes non Africus urit,
 Non lædit æstu Sirius;
Cum Iovis Olenio tristatur sidere vultus,
 Et rura pulsat grandine,
Non pluvij infestis concurrunt flatibus Austri,
 Nec Caurus Euris obstrepit;
Fronte licèt sedeant nebulæ, veniatque futuris
 Notus procellis hispidus
In Zephyrum transit placidæ sub limine villæ,
 Vultuque spirat non suo:
Quærat Pausilypos, aliò que Favonius auras
 Cum frondium plausu ferat,
Huc revocata venit liquidi levis aura Favonì
 Etesiarum sibilo:
Quod superest: Natura suos indulgeat amnes,
 Tempe vocabis Itala.
Carole, quem dulci vena ditavit Apollo,
 Cui culta servit Pieris
Cui dum Pimpla sinus mansuris floribus implet,
 Tu vere primo blandior
Affulges animis, properes, &, te hospite, major
 Hæc villa Cyntho splendeat.

Nul-

Nulla fides venti s.

ODE III.

IN NAVIM

Ne vela ventis explicet, ut P. Andream de Mari tutiùs finibus Liguriæ reddat.



O Quæ blanditiis nimiùm confisa Sereni,
Credula sic Thetidi,
Navis, turbinibus speras illæsa dolosum
Fallere puppe fretum.
Officiosa licèt jucundùm candeat, albam
Non habet unda fidem:
In gremium cum blanda rates vocat, improvisos
Subitruit illa dolos.
Luxuriat faciles cum Gratia terna per undas,
Tunc properant Furiæ;
Ne tibi nauta leves velorum subliget alas:
Non decet ala trabem:
Andreæ timeo, capiet vix hospita magno
Quem Thetis alma sinu:

A Ma-

A Mari nunc disce, mare, & tranquilla tueri
Littora navigiis,
Et nautis servare fidem, Sirenas & undis
Innocuas alere,
Veridicas gerit ille sacro Sirenas in ore,
Quas sibi Suada velit:
Olli Arighinus avus, numeroso remige Ponti
Qui furias domuit,
Qui classis flectens olim Regalis habenas,
Lenijt arte Notos;
Tu, Triton, conchâ Zephyros infringe sonorâ,
Doris ut ipsa sciat,
Qui veniat novus hospes aquis: rex Æolus Austros
Rupis in arce premat:
Tu ventosa feros consume per organa Cauros,
Provide mysta, precor:
Tu, Steropes, contunde tuis in follibus Euros;
Lintea ne tumeant.
O linum pereat, primum quod carbasa finxit
Obruitura rates:
Utile telluris portentum, florida pestis,
Rustica noxa soli.
Hocne feri, ut frœnet ventos, cupiatque procellas,
Atque pericula amet?
Natura nolente, fidem præstare, coloni,
Infodiuntur humo
Neglectura maris lini mala semina fluctùs:
Nam sterilescit ager;
Urant cum terram, glebæ quæ porrigit uber,
Ut grave germen alat.
Quid fugiût homines, audax genus? unde protervas
Continuere manus?
Navigium brevis herba ferens ingloria ponti
Æquora sæva domat;

Eri-

Erigit è terris humili quæ germine florem,
  Quam levis aura quatit,
Hæc trahit aligeras turres è portubus, artes
  Hæc & amicat, aquas
Callida per medias peregrinam ducere mercem,
  Dum Thetis ipsa tremit.
Proh pudor! à parvo quæ semine nascitur Orbem
  Ante, retroque rapit,
Littora littoribus, divisas urbibus urbes
  Textilis herba ligat,
Admovet Ægyptum Italiæ, Maurisque Britannos,
  Americen Asiæ:
Europam ut sitiens inviseret Africa, Mundus
  Viveret, herba dedit:
Herba vehit gemmas ignotis Orbibus, Orbes
  Orbibus herba novos
Associat, portatque sinu super æquora ventos,
  Stringit & herba Notum,
Nuper in Alpinis stravit qui montibus Ornum,
  Vertice ferre polum
Quæ poterat. frustra ventos premit Æolus, Austrum
  Si levis herba regat,
Si Boream, tentat dum spargere fluctibus astra,
  Pendula lina doment.
Nil erat, aufugeret si nigra per æquora, Cauri
  Ni volet arbitrio
Puppis, & annectens velis nova vela morantem
  Provocet arte necem.
Nil erat, intactam gauderet navita remo
  Si violare Thetin,
Carbasa ni faceret, quæ sic impunè per æquor
  Luxuriantur aquis:
Nil erat indomitis calcari navibus undas;
  Ni ferat unda nemus:

Hortenses & opes, & dulci ditia succo
  Huc poma pleno Copiam
Cornu transfudisse, & terram prodiga risu
  Disseminasse florido:
Hinc vaga Flora suo Zephyro contenta colono
  Coronat hoc montis Caput.
Ast ubi plus tepeant hyemes, plus frigeat æstas,
  Annique jura proterant?
Est ubi tam Soles frigus, tam frigora Solem
  Frangant, & invertant vices?
Non Helice teneras corrumpit frigore frondes,
  Insanus aut torret Leo,
Pestifer intactas segetes non Africus urit,
  Non lædit æstu Sirius;
Cum Iovis Olenio tristatur sidere vultus,
  Et rura pulsat grandine,
Non pluvij infestis concurrunt flatibus Austri,
  Nec Caurus Euris obstrepit;
Fronte licèt sedeant nebulæ, veniatque futuris
  Notus procellis hispidus
In Zephyrum transit placidæ sub limine villæ,
  Vultuque spirat non suo:
Quærat Pausilypos, aliòque Favonius auras
  Cum frondium plausu ferat,
Huc revocata venit liquidi levis aura Favonì
  Etesiarum sibilo:
Quod superest: Natura suos indulgeat amnes,
  Tempe vocabis Itala.
Carole, quem dulci vena ditavit Apollo,
  Cui culta servit Pieris
Cui dum Pimpla sinùs mansuris floribus impl[illegible]
  Tu vere primo blandior
Affulges animis, properes, &, te hospite, majo[illegible]
  Hæc villa Cyntho splendeat.

Nu!

diu cre-

ra extir-

Curt.

UINAM

COS

um potentiam

iam,

MBLASIUM

boris interitu

tam D. Jo:

sub cujus

mblasius

ra decidit arbos,

tas æquoris,

aria, ponti

um decus,

Regi-

Sole repercussis Oriens miratur ab oris,
Europa felix alteram
Ut Latio dederit
Lucem; bacchentur nebulæ, lux illa renidet
Inane subter nubium
Nescia mole premi,
Dum radiosa stupent Solis cunabula Romam,
Dolentque vinci lumine,
Quod geris eloquio,
Moribus, & vultu; festo Goa murmure plaudit,
Faustâque gaudent insulæ
Voce Philippiades,
Ora frequens latè populo Moluchis, odoro;
Quæ lacrymantur vulnere,
Aurea thura feret,
Ponere Lojolæ modò quam meditaris, ad aram;
Ditesque venas montium
Evacuare student,
Ut Divum decores, gemmis tibi Seres, & auro;
Parem tuis & alteram,
Quæ tua gesta notet,
Officiosa parat meritis Calamina columnam,
Erythra quam ditet suis
Gemmea divitijs:
Dives ab emerita dum paupertate vetustas
Opes, & urbes divitum
Exuperas Arabum.
Te satur humana condiscit cæde Caribbus
Abominatus barbarà
Luxuriare dape
Post ubi tutorem peregrini noverit Orbis
Te, qui tenue vocis potes
Regna movere sono, &

Nobilitare novis squalentes moribus urbes:
Te Chersonesus Aurea,
Cottiara, & Cananor
Te poscit, supra Gangem te quærit & Indum
Sonans per Orbem nomine
Flumen Amazonio,
Te quæ postremo terrarum in margine tellus
Extorris à nostro procul
Exulat Orbe vocat
Indorum, Fideique decus; lapsum Æthere numen
Saxuma te nobis putat:
Fallitur: ipsa fugant
Cum tua jussa deos, socordia saxa, ruinas
Delubra jam tholis timent,
Mysta preces blaterat,
Alba pavent per te stragem dum numina, mœstas
Totis tremiscunt artubus
Et statuæ inter opes;
Natagus horrorem tremebundo è marmore spirat,
In ominoso Fotoqui
Eminet ore pavor,
Xaca fugit pavido Noyellia fulgura vultu,
Formidolosum Caroli
Ad sonitum aure Chamis
Palluit attonità, pernox ululavit Amidas;
Et Tartarorum perfida
Horret ubique tuum
Relligio nomen, trepidas Brachmanes & aras
Spargunt malorum lacryma
Auspice; Pussà timet,
Ne sua, quos parit Europe, per littora mittas
Heroas, assuetos suà
Cæde animare Fidem.

Sed

Sed vocat extremo me Flandria littore Gangis,
Hìc astra dum plausus ferit,
Ore Cupido fremit
Sordidus incesto, & lasciva Licentia, frœnos
A Vaticana dum timet
Relligione, strepit:
Hìc Noyelliadum dextris assueta recidi
Inter Gradivi turbines
Hæresis atra Stygem
Territat insanis longè clamoribus, Hydra
Ferax dolorum funditus
Interitura gemit:
Funditus interitura gemat, te sentiat hostem
Vel unde grassantur nives,
Vel calor unde furit.



Neapolitana deliciarum colonia.

ODE II.

IN CAPIMONTANUM

Celebrem in agro Neapolitano villam:

Quò per Octobris ferias P. Carolum Paladinum Soc. Jes. suum in poetica magistrum invitat.



Tiburis illa sui ter laudet Horatius arva;
   Blandosquè fontium sinus:
Jussus & ingenio celebret sua rura Tibullus,
   Et igne ridentem domum;
Enthea Melpomene, nimiusq; in pectore Phœbus
   Me rure raptat altiùs:
Est hac non procul urbe colonia deliciarum,
   Quam Montis appellant Caput;

Non

Non mõs triſtè riget,trepiduſq;in frõdibus horror,
Nocet nec umbra vatibus ;
Ruris frontem ipſam triferæ ſub limine vites
Dulci coronant palmite,
Sed dextrum latus ut Titan exactus Olympo
Sero ſalutet lumine,
Lævum luce nova currùs venientis inauret,
Simul refulſit oppidis.
Quercus in amplexu villæ ſtat, frondea gaudent
Altùm ſalire brachia ;
Explicat ipſa comam,& plantas ſupereminet omnes
In Cælum itura vertice ;
Se tamen obliquat tranſverſis pendula ramis,
Umbras ut irroret ſolo:
Huc nos deducet ſubmiſſo numine Faunus,
Ut ruſtica donet dape,
Non pretioſa gulæ ſumes ludibria, regum
Cibo nec eludes famem:
Ornabit menſam niveos contorta per orbes
Recens ſed à flammà Ceres,
Perna vetus fumo dudum explorata camini,
Ficuſque blattæ neſcia,
Prunaque ſubviridi latè turgentia ſucco;
Nativa ruris fercula:
Grandius artocreas, minimùm quod dente labores
Bis, terve duro frangere,
Atque autumnales tenero cum cymate caules,
Jure in ſuillo qui natent:
Urceolus non gemma cavis manantia cellis
Dabit Lyæi munera:
Non menſam repriment bellaria lauta ſecundas,
Sed uva, quæ Moſchos olet,
Et pyra, quæ meliùs non inſererentur Ofello
Horatiano villico,

Per-

Persica poma, aperit facilis quæ dextra, modestè
 Odora ventris præmia:
Post ubi sublatis dederunt convivia mensis
 Locum Loquelæ jactibus,
Illecebris animosa suis satis ampla jocorum
 Virtus poetis est seges;
Sive Cytoriacos hastis devoluimus orbes
 Torni nitentes à rotâ;
Ante, retroq, volat Buxum tornatile, multo
 Lusore fervet porticus:
Sive venusinis amor est assurgere plectris,
 Seu nos Thalia respicit,
Pagina pura, stylus nitida est argenteus arte,
 Perfusa verba nectare,
Incidunt quernis Satyri data carmina libris,
 Et ruris addunt fastibus;
Non ea sunt Cereri, sed rura fidelia Baccho,
 Pomona certat Libero,
Sponte maritandis adolescit vitibus albâ
 Umbrâ salubris Populus,
Hanc prope frondescit, sed adultæ assibilat Ulmo
 Propago vix dum nubilis,
Purpureus Salicis currit per brachia palmes,
 Et stringit ulnis conjugem.
Ingenium lauda: tellus non plenius uber
 Largitur Albæ vineis;
Illa per autumnum Vesuì non invidet uvis,
 Aut Faustiano nectari,
Cedit nobilitas botri generosa Falerni,
 Et læta Gauri pampinus:
Ut prope translatam dicas florescere Cypron,
 Solivè dilectam Rhodon,
Credas Alcinoi postquam pomaria fato
 Exaruere temporum,

Hor-

Hortenses & opes, & dulci ditia succo
Huc poma pleno Copiam
Cornu transfudisse, & terram prodiga risu
Disseminasse florido:
Hinc vaga Flora suo Zephyro contenta colono
Coronat hoc montis Caput.
Ast ubi plus tepeant hyemes, plus frigeat æstas,
Annique jura proterant?
Est ubi tam Soles frigus, tam frigora Solem
Frangant, & invertant vices?
Non Helice teneras corrumpit frigore frondes,
Insanus aut torret Leo,
Pestifer intactas segetes non Africus urit,
Non lædit æstu Sirius;
Cum Iovis Olenio tristatur sidere vultus,
Et rura pulsat grandine,
Non pluvij infestis concurrunt flatibus Austri,
Nec Caurus Euris obstrepit;
Fronte licèt sedeant nebulæ, veniatque futuris
Notus procellis hispidus
In Zephyrum transit placidæ sub limine villæ,
Vultuque spirat non suo:
Quærat Pausilypos, aliò que Favonius auras
Cum frondium plausu ferat,
Huc revocata venit liquidi levis aura Favonî
Etesiarum sibilo:
Quod superest: Natura suos indulgeat amnes,
Tempe vocabis Itala.
Carole, quem dulci vena ditavit Apollo,
Cui culta servit Pieris
Cui dum Pimpla sinùs mansuris floribus implet,
Tu vere primo blandior
Affulges animis, properes,&, te hospite, major
Hæc villa Cyntho splendeat.

Nul-

Nulla fides venti s.

ODE III.

IN NAVIM

Ne vela ventis explicet, ut P. Andream de Mari tutiùs finibus Liguriæ reddat.



O Quæ blanditiis nimiùm confisa Sereni,
 Credula sic Thetidi,
Navis, turbinibus speras illæsa dolosum
 Fallere puppe fretum.
Officiosa licèt jucundùm candeat, albam
 Non habet unda fidem:
In gremium cum blanda rates vocat, improvisos
 Substruit illa dolos.
Luxuriat faciles cum Gratia terna per undas,
 Tunc properant Furiæ;
Ne tibi nauta leves velorum subliget alas:
 Non decet ala trabem:
Andreæ timeo, capiet vix hospita magno
 Quem Thetis alma sinu:

A Ma-

A Mari nunc disce, mare, & tranquilla tueri
Littora navigiis,
Et nautis servare fidem, Sirenas & undis
Innocuas alere,
Veridicas gerit ille sacro Sirenas in ore,
Quas sibi Suada velit:
Olli Arighinus avus, numeroso remige Ponti
Qui furias domuit,
Qui classis flectens olim Regalis habenas,
Lenijt arte Notos;
Tu, Triton, conchà Zephyros infringe sonorà,
Doris ut ipsa sciat,
Qui veniat novus hospes aquis: rex Æolus Austros
Rupis in arce premat:
Tu ventosa feros consume per organa Cauros,
Provide mysta, precor:
Tu, Steropes, contunde tuis in follibus Euros;
Lintea ne tumeant.
O linum pereat, primum quod carbasa finxit
Obruitura rates:
Utile telluris portentum, florida pestis,
Rustica noxa soli.
Hocne seri, ut frœnet ventos, cupiatque procellas,
Atque pericula amet?
Natura nolente, fidem præstate, coloni,
Infodiuntur humo
Neglectura maris lini mala semina fluctùs:
Nam sterilescit ager;
Urant cum terram, glebæ quæ porrigit uber,
Ut grave germen alat.
Quid fugiūt homines, audax genus? unde protervas
Continuere manus?
Navigium brevis herba ferens ingloria ponti
Æquora sæva domat;

Eri-

Erigit è terris humili quæ germine florem,
  Quam levis aura quatit,
Hæc trahit aligeras turres è portubus, artes
  Hæc & amicat, aquas
Callida per medias peregrinam ducere mercem,
  Dum Thetis ipsa tremit.
Proh pudor! à parvo quæ semine nascitur Orbem
  Ante, retroque rapit,
Littora littoribus, divisas urbibus urbes
  Textilis herba ligat,
Admovet Ægyptum Italiæ, Maurisque Britannos,
  Americen Asiæ:
Europam ut sitiens inviseret Africa, Mundus
  Viveret, herba dedit:
Herba vehit gemmas ignotis Orbibus, Orbes
  Orbibus herba novos
Associat, portatque sinu super æquora ventos,
  Stringit & herba Notum,
Nuper in Alpinis stravit qui montibus Ornum,
  Vertice ferre polum
Quæ poterat. frustra ventos premit Æolus, Austrum
  Si levis herba regat,
Si Boream, tentat dum spargere fluctibus astra,
  Pendula lina doment.
Nil erat, aufugeret si nigra per æquora, Cauri
  Ni volet arbitrio
Puppis, & annectens velis nova vela morantem
  Provocet arte necem.
Nil erat, intactam gauderet navita remo
  Si violare Thetin,
Carbasa ni faceret, quæ sic impunè per æquor
  Luxuriantur aquis:
Nil erat indomitis calcari navibus undas;
  Ni ferat unda nemus:

Ni tremulæ liquido jactentur in æquore sylvæ;
Dum jubet herba, nefas!
Res adeo miscet lini temeraria messis,
Turbinum amœna seges,
Fertile crimen humi, ruris quoq; pœna feracis,
Fluminis atra lues.
Nec sua monstra patrat linum sub flore, sed alto
Frangitur amne, pigri
Vel patiens stagni sordet sub littore, Solis
Fervida tela subit,
Pluribus edomitum mollescit ab ictibus, auræ
Et cupit esse jocus:
Et donec lacerum flavescat, possit ut aureas
Assimulare comas,
Præda jacet fluvijs, & campos peste fatigat:
Post ubi culmus aquas
Cessavitque pati, & Soles, & verbera, tortus
Mox ubi verticibus
Fagineis fusos suspendit in aëre, texit
Vela superba rati.
Sic homini favit Naturæ pœna. quid ultra
Vela videre licet?
Quisquis veliferæ rapiant ut cyclades aurum,
Gens quòd avara truci
Ultima Telluris rimetur viscera ferro,
Orbis & alterius
Audaces referant quòd splendida furta carinæ,
Questibus astra moves;
Parce queri: majora maris jam nauta tyrannus
Cernere monstra dedit.
Quid magis est aurà fugitivum? sistit & auræ
Pensilis herba fugam.

Ma-

Magnas arbores diu creſcere, unà hora extirpari. Q. Curt.

ODE IV.


IN PLATANI RUINAM

ALLEGORICOS

In diuturnam Principum potentiam caſibus obnoxiam.

AD IGNATIUM SAMBLASIUM

Sub finem, alterius arboris interitu alluditur ad inſperatam D. Jo: Auſtriaci mortem, ſub cujus tutelæ umbrà Samblaſius vixerat.



O Platani ſtrages? Genio ſacra decidit arbos,
Ruris voluptas, & voluptas æquoris,
Ludus & undarum, ſylvarum gloria, ponti
Illuſtris umbra, veris umbroſum decus,

Regia Sylvani, Neptuni cura, theatrum
Gratum choreis feriatæ Doridos;
Nam Dea vicinas fugiebat Nereos undas,
Ut hospitali fronde soles frangeret:
At nunc ludibrium pecori jacet arbor amica,
Arbor poetis, atque musis hospita,
Radices avidi rostro lacerantur aratri,
Et stipes atris præda sordet ignibus;
Crimen, Caure, tuum: Platanum cur Veris honorem
Injurioso sustulisti spiritu?
Nequicquam Æolium frœnatur carcere vulgus,
Et arcuatis edomatur montibus,
Si dedignatur saxo sub vindice trudi,
Undas, & ignes, & solum, & miscet polum;
Campus alit segetes, & fertilis ubere glebæ
Nutrit supino vineæ fœtùs sinu:
Ventus lactentes urit temerarius herbas,
Fœcunda crudum sentit Austrum pampinus,
Imperat arboribus Boreas, & vota coloni
Pendent ab aura pestilentis Africi;
Undantem aura sinum Cereris malè dividit, anni
Ut spes agresti fluctuent in æquore,
Quas ubi spargit humi tempestas spicea, ventis
Caliginosis intonata, villicus
Nequicquam emissis onerat sua sidera votis,
Ut Euri in auram molliatur sibilus;
Contemnat rigidas incædua sylva secures,
Rumpetur Austri pertinaci turbine;
Palma superba comas vicinis misceat astris,
Radice Manes tangat, à vento ruit:
Quid salit insanà scintillà vilius? Eurus
Si ventilat, cognata lambit sidera,
Audacique adeo furiatur flamine, totà
Ut vix ruinà perprimatur ædium;
Nec

Nec satis: annorum senio venerabile marmor,
Quod non malignus in procella Juppiter,
Non trux ipse Aries inimico verbere stravit,
Non & dolosis trivit ævum dentibus,
Subruit ipse frequens ventosis ictibus Eurus,
Post & ruinas delet, & nomen Notus;
Quid temerè venti non audent? fœta tonitru
Vel è Tonantis officina, fulmine
Aut armata trahunt huc illuc nubila, spargant
Ut mox procellas aut in urbium sinùs,
Aut super Oceanum, puppes ut devoret æquor,
Quas Orbe nauta rexit huc ab advenà
Gaudentes auro, & peregrinis mercibus, Auster
Has infidelis Auster immergit freto,
Aut scopulo affringit, socijs aut navibus, aurum
Celebre furtum ex Orbis ignoti ultimis
Montibus advectum pelago superaddit avaro,
Ut consalutat nauta littus ignibus;
Et favor est; dubias alieno littore puppes
Natalis oræ si relinquat exules;
Aut risum fallaci aura mentitus, amicæ
Blandùm fluentes Tethyos crispat sinùs,
Ut laceret, videant quà Tartara nigra carinæ,
Aut astra tangant inter Argonavitas;
Sic ubi naufragium subeunt lusere triremes,
Et naufragis insultat aura mercibus;
Nil vetitum ventis? liquidis quid mollius undis?
Ventus nivali frœnat undas compede,
Ut solidata ruant celeres super æquora currùs,
Quamvis tridentem mordeat maris deus:
Nec satis est, tutis violari navibus æquor,
Ni mox equorum verberetur ungulà:
Quin ipsæ tepuere nives à flatibus Austri,
Ventus pruinas solvit, & ventus ligat:

Unde removerunt pugnaces flamina venti?
Vento domatur sub gravi Ceres mola,
Ventus arenarum propellit in æquore currùs
Vectore lætos plurimo, vel divite
Merce graves: ergo fluitantia lintea pandit
Auriga jungens perduelles Africos,
Qui bijugi rapiant axes per compita, puppes
Velociores æmulatus esfedo.
Sic est; in flamma dominatur, turbat in unda,
Tellure ventus regnat, in Cælo furit.
At Zephyrus liber si sic bacchatur in Orbe,
Mansuescet arcto si prematur vinculo?
Quid tum? sollicitat contusus tergore flammas,
Ut mitigetur ferreus flatu rigor,
Possit & arma faber moliri, mollis ab igne
Et obsequatur flexilis dextræ Chalybs;
Immo beat sonitu compressus follibus aures,
Faber canorus, atque nauta musicus;
Res adeo miscere potest ignota Noti vis:
I nunc adora Cæsarum potentiam.
Arbor in Hispanà nuper quæ creverat aulà,
Sub cùjus umbra te juvabat vivere,
Concidit, Ignati, spes & cecidere clientum,
Simulque vota corruerunt urbium;
Audijt Europe sonitum tremefacta ruinæ,
Non illa pressit te, sed erectus manes,
Vivis & ingenio metuendus, & ense, Monarchæ
Utroque præses & tueris oppida;
Si furiosa tibi Joannem fata tulerunt,
Tibi secundus stat, resurge, Carolus.




Vi-

Vitijs, & hostibus invicta frugalitas.

ODE V.

AD P. JOSEPHUM IMPERIALEM SOC. JES.

Cum in Neapolitana Academia de jejunio placita dictaret.



Non convivia Cæsarum,
  Non me Romulidum prandia civium,
Non cœnatus Apolline
  Luculli Genius pauperie quatit:
Diverso petat è mari
  Mullosque, ac Elopes, ventris, & improbi
Quærat ludibrium Scaron,
  Nec Muræna, capi lubrica, defluat
Implacata cui Gula
  Nunc culpare sinum nititur Adriæ,
Dum non educat ostreas,
  Nunc, dum clara negant flumina Lampetras
Vul-


Vulturni arguit alveum:
Me feris veniens frugibus annuus,
Et fic gratuitò fapor
Explet plus nimio: non mihi fervida
Fauces fercula decoquunt,
Quas Bacchus glaciet de nive frigidus;
Inteftina fremant licèt
Conjurata meas perdere copias,
Illis quod fatis eft dabo:
Mifcent cafta choris dulcè nitentium
Me jejunia Cælitum:
Cur Rhombus Siculis naufragijs fatur
Neptuni arbitrio gulam
Nobis ludificet? cur nimius bibam
Bacchi munera Maffici?
Quæ fi cunque fovent vina, quid attinet
Vefui fugere lacrymam?
Non poffunt animi fub penetralia
Se fe infundere pocula,
Nec curis prohibent corda fequacibus:
Non pifcamur in amphoris
Gemmam lætitiæ, credite pofteri,
Multo cura fuper mero
Debellata, redit pectoris acrior
Hofpes: Mænade fæviùs
Bacchatur, trepidis corda tumultibus
Infeftat, nifi nobilis
Devicta ingenij viribus excidat
Menti. Tu Cleopatræ amans
Teftes, Marce, feras pranfus, & alites,
Ægypti patrios deos:
Ut laffata fames luxurie ftetit,
Servi non fine tædio
Audivere, tuus quid ftomachus ftrepat

He-

Hesternâ dape turgidus;
  Romaniq; (nefas?)principis immemor
Vel tantum Mareotici
  Mimæ conjugio potus in Hiptiæ, ut
Obdormire dapem impotens
  Semesos vomeres altilium greges,
Et crudum Thetidos pecus;
  Sic extorta gravi gaudia crapulæ
Fœdat tristitia, & pudor,
  Horrent à dapibus rostra natantibus;
Ac omnis prope Curia,
  Si fas grandiloquo credere Tullio.
O si turba potentium
  Nosset delicias quærere rusticas,
Et quæ gaudia villicus
  Vivo sub tugurì cespite colligit;
Nollent ambrosijs graves
  Insudare cibis, aut saturi novem
Immarcescere poculis:
  Sed cœnarum epulas Adijcialium,
Gemmatoque super scypho
  Ridentem premerent ter pede Liberum.
Quis nescit Curij indolem?
  Samnites cumulent divitias, novum
Ut Romæ excutiant jugum,
  Ille auri illecebras ex oculis movens,
Martis muneribus potens
  Respondet: Curius dona retro dedi, ut
Pauper ditibus imperem;
  Samnì sic vetuit divitijs emi
Quæ virtutis erant lucra:
  Atqui magnanimi prandia consulis
Non stabant patrimonio,
  Non cogebat opes, ut tereret gulæ;

Hæ-

Hæres vix voluit bonis
Solam de patrijs carpere gloriam;
Fundum quæritis, haud erat
Quantùm poſt patuere atria Cæſarum.



Mon-

Montium purpuratus.

ODE VI.

IN SOSIANUM,

Amœnam Villam ad Montem Vesuvium sitam.

AD P. ALOYSIUM ALBERTINUM Soc. Jes.

Prælegentem in Neapolitana Academia theologiam.



DEtrahe, Calliope, gemmata monilia collo,
Et redde inaures scrinio:
Desine ceruffæ vultum saturare veneno, &
Anguem capillo fingere:
Nunc decet in nodum sinuosæ cogere vestis
Lascivientes fimbrias;
Cincinnos docto olim derivare decebat
Adulterinos pollice;

Si

Si nunc ſidereâ pugnat cum fronte ſeveræ
  Capillus arti contumax,
Indocilis procul aure fluat; formoſior errat
  Neglecta per collum coma:
Pulchrior in ſylvis narratur ſolvere crines
  Undam æmulantes Cynthia:
Dia nec erubuit paſtoris fiſtula Phœbi
  Alludere æſtivo gregi.
Aſperiore domet limâ ſibi Flaccus Epodon,
  Prematque in annos undecim,
Papinij carmen nigris illuſtre lituris
  Tabella jactet cedrina;
Carmina grata; mihi innubi quæ nûmine dictas,
  Dum Phœbus illis annuat.
Nobilium genio non dedignanda Quiritùm
  Et ſylva vernet tonſilis,
Et Fortunatis ſplendentia nomina ponat
  Vates canorus inſulis;
Quòd me pungit amor Veſuvini ruris, ubi mons
  Aureo tumeſcens palmite
Servat adhùc dulces vivis in cautibus ignes,
  Arcani amoris indices;
Fors quià purpureo ſemper Sirenis amavit
  Beare cives nectare,
Qui docuit muſis, Phœboque caleſcere pectus
  Rubente Bacchi lacrymâ,
Qui nutrit Dryadeſque ſinu, caſtaſque Napæas,
  Quem noſtra Siren viſitat
Fronde coronatum, & facit uvæ purpura regem
  Inter Latinos montium:
Mons, ubi cornigero certat Pomona Lyæo,
  Uterque ſed vincit Palen.
Cedant Telegoni viridi juga prodiga luxu,
  Circæa cedant prædia,

Di-

Dives & omnigenis Surrenti glarea pomis,
Massæque Lubrensis plaga:
Hìc premitur facunda quies immunis ab omni
Negotiorum turbine,
Curarum procul hybernant examina, frontem
Quæ nube spargunt tetricà,
Candidus est Lepor, innocuis Iocus evolat alis,
Quem semper anteit Pudor;
Longè mordacis dicteria nigra poetæ
Hinc Martialis exulant;
Nos agitat nullus naso Juvenalis adunco,
Nec Persij placet Lyrà.
Dentatam Satyram laxare cubilibus altis
Ferocientis ingenì
Albertine, potes, Sosiani Musa sub umbra
Dum rusticatur aëris,
Tu quoque Cælestis sophiæ transmittere curas
Supra Novembris frigora, &
Seu juvat ingenij Peligni flumine villæ
Dotes beatæ scribere,
Seu fide Virgilij transfertis dicere ramis
Adoptiones arborum,
Fagineis nymphæ libris tua carmina scribent,
Quæ rusticana numina
Contendent Fauni nemoralibus indere fastis,
Quos mense sculpunt Junio.




Protrepticon

ODE VII.

AD P. THOMAM STROZZAM SOC. JES.

Cæſareum Concionatorem, cum Viennam Auſtriæ versùs iter faceret.



SIc tibi ſubſternant ſylveſtria numina Fauni
Iter, Dianæ molliendum floribus,
Quó modò, Strozza, vocāt Alemánica pulpita, poſcit
Siticuloſis conciones auribus
Auſtria combibere, imperio quà præſidet Orbis
Cultu Vienna literato ſplendida.
At prope tacturos quì vinces ſidera montes
Inter gelata rupium faſtigia?
Africa, ſi neſcis, tranſcendere palluit Alpes,
Gens ſueta duris incubare cautibus;
Hinc ſtetit Alpino pavitans in vertice, & alta
De rupe turmas alloquutus Annibal:

Cre-

Credimus? intrepidi medias calcavimus Alpes,
Et astra Mauro penè ferro stringimus
Hercule majores; sed nos manet Hydra, malorum
Fœcunda belli, Roma, pestis urbium;
Crescit in exitium mundi, quot funera spirat
Hæc sylva capitum, quot venenorum ferax
Sparsit penè suum capitalia damna per orbem,
Et Martiali cuncta stravit halitu?
Nos quando æthereas ferro divisimus Alpes,
Et in minaci consìdemus culmine,
Quando super victis equitamus rupibus, Afro
Tritæque gressu, contumaces solibus,
Intepuere nives, tædet descendere ad Urbem,
Ad quam feruntur mole poplites suâ.
Scilicet armigeros post terga reliquit Iberos,
Post terga Pœnus dereliquit Africam,
Et cadere in gremium Italiæ nunc molle recusat
Sudore partum ut tergat unguento situm:
Scilicet huc virtus per strages Punica duxit
Ferocientem in fata ferro militem,
Ut posito cadat exanimis super Alpibus ense,
Parat sepulchrum Fama cui Romam super:
Proijcite hos animos montis de vertice, Mauris
Non saxa deerant funeratis patria:
Non mihi Sardiniam dat Mavors pignus, ad Urbis
Vocat rapinam nostra virtus Africam.
Ostendam modico vobis Capitolia saltu,
Nisi abnegarit me ducem Pœnus sequi.
Triste supercilium est Alpis, sed floribus halat
Pes ipse montis, dormiemus in Rosa.
Auditis Zephyri frondoso sibila plausu?
Vitalis adeo, dulcè quæ spirat, genis
Optatæ venit Italiæ de finibus aura,
Hoc ille mollis vivit aër halitu.

Cernitis, ut vestit nubes argentea Cœlum ?
Est ille Cœli pompa Romani nitor.
Aspicitis, Polus ut vario micat Iridis arcu!
Præludit illa jam triumphis Africæ.
En ubi Campanum se se explicat amphitheatrum
Quâ clara virtus Maura tanget sydera,
En ubi delicijs aperit mihi Nola theatrum;
Atella dites inter urbes emicat,
Parthenopæ tellus nutrix, Cœlum aëre felix,
Aversa gens est nemini, & suo potens;
Illic de primis Cereri contendit Jacchus,
Plenique spumant ebrio lacùs labro,
Hortis respondet Floræ Pomona, sed agro
In fertili regnat pecoris altrix Pales;
Vobis Seplasiæ liquidi properantur odores;
Decorus iste pulvis unguento cadet.
Delicias, ungenta, rosas, hos præparat hostes
Fortuna nobis nota, ni frui piget.
Si vos Danubij mallem superare meatùs,
Justis Araxem vel domare pontibus,
In mare vel superum Mauris descendere sylvis,
Scythicave arare classe Baltici æquora;
Si Siculas furor incideret volitare per undas,
Scyllæ, & Charybdis inter ire vortices:
Sperarem graviora; suis nam monstra per Orbem
Majora monstris Afra virtus parturit;
Sed monstro Italiam, genialia tecta, per Alpes
At fata Pœnos ire cogunt milites:
Vos latet? ex alio prope quærimus orbe Latinos;
Et cum videmus tædet hostes vincere!
Sic, pudor! invictos domuerunt pectoris ignes
Nives serenis eliquandæ solibus?
Degeneres, oculi trutinâ librate labores:
Non nunc, ut ànte, anheli in astra tendimus,
Ab-

Ab Jove donatur facilis descensus ad Urbem,
Mauro domandum quicquid est gressu jacet.
Et vicina ferox posuit vestigia Cœlo
Qui vel labores æmulatus Herculis,
Qui potare Thybris galeis victricibus undas
Mihi spopondit, insidebit Alpibus?
Italiam Italiam dederunt jam fata; superbam
Afroque Romam pollicetur Annibal;
Italiam vestro posuit Fortuna sub ictu,
Et vos piget victoriarum tædio?
Sic inter laudis primordia celsa timetis?
Sic inter alta gloriæ cunabula
Te, sors fida, sequi negat Africa missa per Alpes?
Gaudetque Famæ strangulare buccinam?
Quicquid vicistis rapti per saxa, per undas,
Calcanda nostro bruma gressu vicerit?
Annibal extimui, fateor, fera monstra, sed Afro
Nullum pavore pejus hic monstrum cubat,
Hic frangit tremulis Maurusia dentibus arma,
Arcere nitar hunc cubili pectoris.
Fata nec Annibalem deterrent, Annibal ipso
Cum Sole statuit spargere armorum jubar.
Dedecus! innumeros vel visu vicimus hostes;
Venere segnes hostis in locum nives;
Vincemur nivibus, quas lumen, & aura resolvit?
Sunt notus illæ montium risus nives.
Scribat posteritas Alpino in marmore: Pœnus
Hucusque tantùm venit audax ingenì,
Victus & aspectu Romæ, Carthaginis arcem
Vix esse tutam à Marte duxit Romulo:
Me premit iste dolor: positis inglorius armis,
Pati repulsam promereret Annibal,
Si procul auderet patriæ vos pellere nido,
Sub fabulosi principatùs ambitu;

Cernitis Italiam heù oculis jam credite, Mauri,
Mollisque Cœli pulcher is risus trahat.
Nostram illò Fortuna vocat, mihi credite, dextram,
Aliasque nobis fata sedes apparant.
Ni placet in manibus jam partam frangere palmã.
At horret alto dura descensu via.
Audiò, nec vili constat Roma. hospes, & aura,
Et mollis altos frangit herba spiritùs.
Quæ sudore caret Laurus perit arida: sordet
Laboribusque Palma nullis debita.
Armane Romulei tantùm sitibunda cruoris
Rubiginosis haurientur sordibus?
Armane glandiferas suescent abscindere sylvas
Messura victos poplites Quiritium?
Quid lucri est Mauris lacerasse ligonibus Alpes,
Jussisse saxa ferrum, & ignem perpeti?
Vicimus intrepido sudatas pectore rupes,
Quæque astra prono fulciebant vertice,
Et cum vos paribus Victoria ducit in alis
Vocantis in Romæ sinum, timebitis!
Non modò & Italiæ nunc vincere mœnia miles
Muros sed Urbis transvolare destinet.
Pallida Roma tremit jã nunc: caput Orbis & arcem
Uno premetis, altero ve prælio:
Vobis celsa dabunt lautam Capitolia cœnam,
Dapes minister apparabit Annibal.



Cu-


Culex ſupra Elephantem

ODE VIII.

IN CAMPANÆ PALUDIS TABANUM.

AD CÆSAREM DE VILLANO:

Cum vaſtos ſuæ ditionis campos œſtris infeſtari quereretur.



O Peſtilentis progenies aquæ,
Tabane, ſomno vel medio potens
Turbare mentem, vel profundum
Vertere carminibus veternum:
Pallens Averni te genuit lacus,
Stygiſque flumen ſulphure nutrijt,
Fatale portentum, in ſoporis
Perniciem, opprobriumque noctis:
Te meſſor aptus ſolibus Appulis
Longè ſonantem ter prece devovet,
Te foſſor odit, obſtinato
Qui Ligurum premit arva ferro:

Quid

Quid? cum timendâ voce cubilibus
Instas, soporem rumpere pertinax,
Armare conopea callet
Purpureis religata nodis
Frustra satelles principis, & tuos
Rictûs tremiscunt stragula divitum
Libidinosa, te nec arcet
Irradiante lacunar auro,
Te frons tyranni, te metuit cutis
Curata regum, te, cubet in Rosa
Quamvis sepultus, ac in ostro,
Sollicitus timet imperator:
Nam semper haustu sanguinis ebrius
Noctis fatigas otia, bellicum
Canendo, permutas amaris
Excubijs geniale tempus:
Quietis humanæ insatiabilis
Hirudo, quid vis amplius? excubo:
Tabane, desævire parce,
Parce gravi metuende rostro:
Mea superbos te precor in Scythas
Jam cæde sparsum dirige spiculum,
Assuesce pernox barbarorum
Terribiles lacerare vultûs,
Illis tumescens, sæve, cruoribus
Feralè duris auribus instrepe,
Crudelis, incestas Getarum
Incipe sollicitare noctes:
O rusticorum colla, quid insitum
Quid hoc veneni discruciat cutim?
Num me soporatum momordit
Discolor Apuliæ tyrannus
Injuriosis Stellio dentibus?
Num me maligna cuspide Scorpius

Peti-

Petivit irritatus igne?
An rabie violavit unguis
Me saga noctis muneribus valens?
An viperino perlita sanguine
Acus Megæræ me fefellit?
Undisonum Cleopatra pectus
Hac strinxit audax Aspide; semivir
Formidolosus Nessus in Herculem
Non pejus elegit venenum, ut
Membra sui furiaret hostis
Post fata victor, non rabiosiùs
Inarsit Aulus Dipsade concitus,
Vitamque restinguens sitimque;
Tisiphone stimulavit œstro
Hoc luctuosæ pectora Colchidos,
Cum nuptiali munere vestium
Medea torrendo Creusam
Sustulit Herculeos amores:
Hoc Circa tinxit brachia toxico,
Hac crura levit tabe, volatile
Draconis ut dorsum premendo
Attonitis equitaret astris,
Hoc æstuantis virus Horatij
Traxere fauces Canidiæ dolo;
Sensûs ut oblitos amoris
Indomitus popularet ignis;
Feliciorum qui scelerum tenax
Suis amicas separat auribus
Voces monentis, is per horam
Sub culicis religetur ictu:
Quicunque matris viscera diffidit,
Neroniani spirat & æmulus
Furoris, is tuo per octo
Assiduo fodiatur annos

Assi-

Asile, morsu: Justitiæ Rigor,
Quid fuste, vinclo, compede, scorpio, &
Tractu catenarum strepenti
Lente, Scelus, Vitiumque terres;
In pestilenti carcere tristium
Undis nocentum sanguineis sitim
Sedate Tabani, & cruenta
Ora, rei satiate pœnis
Atrociori lege, satellites;
Contaminato nil culicum grege
Pejus, nec ipse tale monstrum
Orcus alit, Rhadamanthus optat
Insueta & ipso plectere crimina:
Quid Græca jactat fabula vultures?
Cordi quid affigit Promethei
Rostrum Aquilæ, superaddat œstrum:
Testis mearum militibus ferox,
Et ore notus grandiloquo Sapor
Sententiarum, quem fugavit
Armisonis Jacobus œstris:
Illinc minaci murmure cornuum
Procùl sonabant ardua montium
Hinc grex Asilorum susurro
Horribili quatiebat aures:
Armabat illinc pectora militum
Sonus tubarum, spirituum dator;
Hinc nare turbanti citabat
Dux acies culicum tremendas;
Illinc micabant fulgure Martio
Enses, sagittæ, pila, phalaricæ,
Hinc vulgus alatum movebat
Membra feræ sitibunda cædis:
Tabanus illinc, hinc Elephas, gravis
Hic fulminabat turre, sed efferum

Os

Os ille non segnis parabat,
Lethiferum meditatus ictum:
Rotabat ingentem ille proboscidem,
Hic tenue rostrum, bellua musculæ
Turrita sed cessit (monarchis
Hæc glomerat nova bella Cælum)
Nam movit alas œstrus, ovantia
Et copiarum cornua dissipans,
Funesta dispersit per arva
Signa trucis memoranda stragis:
Naresque, caudasque impavidus culex
Multo petebat vulnere, cornipes
Ignarus ejectabat ignes
Naribus, assiduaque terras
Pulsabat hostis nescius ungulà,
Et dividebat calcibus aëra
Fumans, recusabatque tangi,
Ordinibusque Elephas rebellis
Terebat atrox agmina, turrium
Latè ruinà, percitus & suos
Sub ungue ductores necabat
Horrisono stimulatus œstro.
Qui risus Orbis, fabula quæ fuit
Rex Persa, quamvis non rudis agminum
A Marte fulgeret, coactus
Stagnigenis dare terga turmis:
I nunc, & armis fide potentium,
Hastatus & te exercitus ambiat,
Formidat en rostrum proboscis,
Ensis aculeolos pavescit.

Di-

Dithyrambus.

Occasione novi cometæ, qui visus est Anno MDCLXIV.

ODE IX.

AD P. EUSEBIUM TRUXES SOC. JES.



NUnc mihi propines haustos Helicone furores
Melpomena, precor; Cynthi comites,
Estis io, musæ, Phœboque calescere vena
Incipit, & nimio jam turget Apolline pectus;
Nostro luxuriet pectine grande melos;
Nec lyra plebejos veniat testata calores,
Sed quate plectra sono qualis fera pectora bello
Extimulas, Geticumque animas ad prælia Martem:
Cometa carmen præcipit,
Cometa dictat, scribite, posteri;
Ille mihi venas torquet Apollo, mihi
Ille suo ingenium concitat igne; viden
Quàm formosa oculis lux micat illa meis!
Candidus argenteo crine cometa nitet,

Can-

Candidus argenteo crine cometa nitet,
Sertumque vincit Gnossidos,
Quod stellis radians nexilibus fulgurat aureùm.
Aurescit aer, cernite,
Et nitido Latias sospitat imbre plagas.
Vultùs sed immutat suos?
O quàm tetra oculos lux ferit illa meos?
Turbidus obscura quid fronte cometa minatur?
Ah! nisi mentitus fallat mea pectora Phœbus,
Te te Mamethes luce ferali notat,
Risu minaci te petit,
Ignis & hostiles excitat ille faces,
Quæ tua regna crement;
Frustra tenebis classibus æquora, &
Jannizerorum præsidio ferox
Fulcire jactabis labantem
Consilio meliore sortem,
Perfide, sic linquens inhonoræ munera vitæ
Hujus veneno lucis è terræ sinu
Sublatus, orbi quæ nocentem sustinet
Te mille sannis universo belluam,
Nec vasto hiatu te involutum devorat:
Aspicis, ut nova flamma turbat!
Ut funebrè micat, longoque per aera tractu
Threijcium versùs Boream sua fulgura mittit?
Sceptra sibi timeant Turcica: Luna fugit!
I, sequere Otthomanas felici Marte phalanges,
Austria, & Ungaricos ferro diffringe tumultùs;
Jam turbulentas dirutis
Insidiosa timet tectis Vallachia flammas,
Jam pavet armorum crudele Silistria fulgur,
Et militum licentiam
Pallida formidat dubio Moldavia vultu.
Quæ me mira mihi vis rapit? ac leves

Quis me trans nebulas aliger evehit?
Pennatum lateris remigium timent
Curæ pectoris hospitæ;
Contrahe veloces humerorum, Pegase, pennas;
Et per inane move audaces moderantiùs alas.
Hìc Solimanni Regia,
Hìc fervet calidis aula cruoribus,
Otthomanum hìc stabulat Voluptas;
Proh bruta tellus? luxuriantibus
Sudat sub armis Idalius puer,
Tædis, & arcu debilis,
Marte calent campi, regnat ubique Venus:
Prodigialè tuens Venerem sed regna cometes
Mutat, & ignito sidera crine ferit:
Ut trepidat Tethys Mauro sub remige? specto
Latè natantes insulas!
Armatas hyemes Luna dedit? procul
Ah fugite, ò miseri, fugite, atq; ab littore class(
Inauspicatam solvite:
En Cilicum, Nomadumque nimbus.
Ah pudeat fugisse, redi in tua prælia, miles,
En crucibus radiata volant insignia, totus,
Orbi militat Æther;
Assuetam bello jam misit Iberia pubem,
Vulturni cui militat
Formidolosus accola,
Et qui redundantem bibit
Siccis Calorem faucibus,
Ut sequitur pia signa velox
Lucanus, acerque Appulus;
Venère Samnites parati
Dura Geræ dare lora collo:
Promittunt acies frangere Bistonum
Forti Teutones impetu;

Ga:

Gallia, terra tibi debet So'ymeja palmas:
Stragibus, ò pudor, ipsa tellus
Non satis est: volvunt miserorum flumina truncos.
Sanguine Bistonio subrubuistis, aquæ;
Siste rotas, Sol, spectetur victoria: Saxon
Ut premit ense ferox vertentem terga Molimum,
Turcæ victor ut Ungarus
Tergo retorquet brachia!
Græcus, Dalmata, Bulgarus
Deturbantur ephippijs,
Sanguinem mittit manus icta ferro,
Plurima cervix
Gurgitis in morem vivos truncata cruores
Evomit, & rivis fluvios rutilantibus auget.
In mare Danubius strages devoluit, & auctus
Scuta rotat, galeasque, & enses,
Potat & infectas trux Arimaspus aquas.
Quò ruitis generosa domus Truxæa per hastas,
Quæritis & primam per nota pericula palmam,
En caput erexit præcinctus arundine Rhenus,
Vestro ut triumpho plauderet:
Io triumphe,
Pallida Threijcij ceciderunt ora cometę,
Crudus & attonito mœror in ore natat.
Benè est, sodales, vicimus,
Vicimûs, Odrysij terga dedere duces:
I, Othomanne, suis viduatas gentibus urbes
Novis marita civibus:
Io triumphe,
Fraudibus armati retro cessere furores
Inominato murmure;
Io triumphe,
Sithonius cecidit Python, cecidere timores,
Quos Python pavidis addidit urbibus

Ferocià raptu s suâ:
Ut mordet hastam sanguine roscidis
Mustapha labris! culpat ut Æthera!
At lætus antro Faunus attollens caput,
Post ubi Marte Getas spectat, Thracesq;Gelonosq;
Austriaco domitos, Satyrorum cum grege ducit
Nympharum latè choreas, cornuque canoro
Tristia ludificat devictę cornua Lunæ.
Truxes, scire cales lyra
Quo sub numine luserit;
Fatidicos ignes meus afflat, Apollo, cometa,
Thracique dudum destinatas
Sidereo canit ore clades:
Enthee, cede meo pectore, cede, Furor.



Mes-

Messis Tartarea.

ODE X.

IN FOENUM SOSIANUM AD D. FRANCISCUM PHRYOTIUM.



IGnava pigri progenies soli,
Fœnum; sopori noxia, mentibus
Invisa, nasorum insalubre
Supplicium fera pestis, acres
Putore vires perdere callida,
Seu te nigrorum huc transtulit Africa
Ferax venenorum, in nocentem
Agricolis, pecorique messem,
Te vorticosis conspuit imbribus
Cælum, saliva te rabida canes
Pavere latrantes, draconum
Te vigiles alvere spumæ,
Seu te retorto viscere protulit
Irata tellus, solstitij dies

Ut funebri incestet vapore,
Vipereo metuenda tractu
Palus gementis te genuit Stygis,
Cocytus atro flumine nutrijt,
Fatale germen, in salutis
Exitium, scabiemque ruris;
Tu verba rauco murmure deprimis,
Pallore vultûs tingis amabiles,
Te, stertat in pluma sepultus,
Mente senex graviore surgit,
Fulvo Tabaci pulvere sordidus
Se nasus armet, te procul arceat
Immanè sternutans, vaporum
Insidijs penetrale sensûs
Caliginosum tu prius occupas,
Ab arce fractæ mentis ut integrum
In pectus infundas venena
Thessalicis potiora succis:
Mox cum timendo latiùs halitu
Spiras, salutem frangere pertinax,
Te torre festinant odorà
Pellere non sine nube thuris:
Cur sic venenas corpus anhelitu
Cæli tyrannus barbarus Itali?
Odoris atque aura maligni
Mentis amas populare robur?
Ô rusticorum nasus, & invium
Caput mephiti, quæ mala naribus
Incumbit hæc lues, ? trucisne
Ripa dolens Acherontis halat?
Fœnone Pluto cornipedes beat?
An pascit ignes manibus additos?
Intorquet an tædas Erinnys,
Tisiphone struit & flagellum?

Fœ-

Fœnumne Minos arbiter impio
Alit nocentum ſanguine? lugubris
Villarum abortus, prælian tum
Ludibrium Zephyrorum, & Orci
Cibuſque fomeſque ardeat, ardeat
Funeſta, deteſtabilis, ardeat
Crudelis herbarum, nefandum
Inque oculos cinerem Draconum
Immittat atrox Africus; innocens
Olente Cælum liberet halitu.
Audimur: en nubes beatum
Emicuit jaculata fulmen.
Paluſtre probrum, funditus urere,
Campoſque fumi pollue toxico,
Ne dulce, te ſpirante, ſtamen
Parca metat redimita fœno.



A Calliopa divortium

ODE XI.

AD P. FRANCISCUM MARIAM JORDANUM Soc. Jeſ.

Severiores ſcientias in Collegio Neapolitano prælecturum.

Vati Philoſophia ſe ſe per viſum conſpiciendam præbet.



Nuper effultus cythara jacebam
Quà refert ponto vagus inter uda
Saxa Sebethos vitreis anhelas
Flexibus undas:
Hìc ubi Fagus ſimularat arcum,
Ludo dum carmen geniale, Cynthi
Fabulas voluens, quibus omne debet
Carmen Apollo,

Fur-

Furta dum ſcrutor Jovis impudica,&
Orphei mulsùm cytharâ Trifaucem,
Cumque ſediſti levis in quieto,
Siſiphe, ſaxo:
Utque proceras abiere in Alnos
Solis infelix genus,unde furtim
Plorat electri lacrymas adhuc ſo-
roria ſylva:
Nobiles apro Calydonis amnes
Perlegens, dixi, Meleagre, monſtrum
Fige; lunatæ meditatur ictum
Fulmine malæ:
Plura ſcrutarer, foret inter umbras
Viſa ni motis inopina ramis
Virgo, mortali mihi viſa major
Riſit imago:
Inſtar Eurotæ vada non amantis
Margines colli coma negligebat,
Talis & vultu facies, virilem in
Virgine vultum
Dicere ut poſſes, oculi modeſto
Igne lucebant, inerat decorus
Palpebris horror, jaciebat Æqui
Vultus amorem:
Mitte ſcitari, mea cura, vates,
Clamat, annales nemorum, canoras
Montium nugas, agè caute fallax
Contere plectrum.
Dedecent molles ederæ, futuri
Mitte jam Laurùs malè ſuſpicaces,
Quicquid & lactis tibi nunc alumna
Fabula mulget
Summove labris: tibi Cervus Hirco
Vivet innexus, bene pertinacis

Inge-

Ingenì ostentum, licèt eruditam
Terreat aulam;
Ripa Jordani metuenda fontis
Hoc alit monstri, licèt illa densas
Nesciat sylvas, nisi qua notatur
Materiæ vis:
Quid? quòd agnosces iter, & labores
Menstruos Lunæ, gelido Novembres
Cur mari tantùm caleant habenas
Tingere Soles;
Cur repentini Nabathæa regna
Occupent Euri, Boreasque durùm
Spiret, & surgat Libyæ perustus
Auster arenis:
Quidve venturis tumet unda ventis,
Aura quæ vivum malè Solis aurum
Inquinet nimbis, nive cur December
Lætificat rus;
Quà procellosum volet officinà
Fulmen, affinis nivibus quid ardet
Ætna, cur lambit glaciem calore
Flamma fideli:
Ne tibi mentem quatiat laborum
Ilias, semper pretio Minerva
Constitit magno, malè feriatas
Desere musas:
Hinc eas me sub duce, te clientùm
In recèns scriptas referam tabellas,
Quod quod, en præsens adero, sophisma
Hydra minetur.
Hæc ubi: mox Calliopen habere
Res suas jussi, viduata chordis
Plectra suspendi, viridemque fregi
Frontis honorem.

IN Congregatione habita coram Eminentiss. Dom. Cardinali Caracciolo Archiepiscopo Neap sub die 9. Martij 1681. fuit dictum, quod R.P.M.F. Nicephorus Sebastus Ord. S. August. revideat, & in scriptis referat eid. Congreg.

STEPHANVS MENATTVS V.G.

Ioseph Imperialis Soc. Ies. Theol. Emin.

Approbatio, & censura.

EMINENTISS. PRINCEPS

HI Lyricorum libri sex, & Epodon liber unus à Rev. Ad. & eximio Patre Prospero Cappella Soc. Jesu, ita inscripti, & mihi ab Em. V. commissi pro censura ferenda, dignissimi sunt, ut publica lucis usura fruantur; nihil enim in eis, quod fidei puritati, & morum integritati repugnet, deprehendi; narratio verè Horatiana mihi visa est, sed ab Horatianis illecebris, & ineptijs, quæ quasi venena legentibus animum inficiunt omnino aliena; quod satis est, ut hujus religiosi vatis lyrica typis mandentur.

T

tur. Sed à typis ad ejuſdem lyræ præconium tuba nunquam ſatis. Ita cenſeo. Datum Neap. in Regio S. Auguſtini Cœnobio die prima Novembris 1681.

Venerabundus

F. Nicephorus Sebaſtus Ord. Er. S. Auguſt. S. Th. Mag. Arch. Curiæ Exam. Synodi, itemq; librorum cenſor. S. Off. de Vrbe in Regno, ac ejuſd. Cong. Ind. Conſultor.

IN Congregatione habita coram Eminẽtiſs. Domino Cardinali Caracciolo Archiepiſcopo Neap. ſub die 28. Julij 1681. fuit dictum, quod ſtante relatione prædicta Imprimatur.

STEPH. MENATTUS V. G.

Ioſeph Imp. Soc. Ieſ. Theol. Emin.

ECCELLENTISS. SIGNORE

PRoſpero Cappella Sacerdote della Cõpagnia di Gieſù per poter dare alle Stãpe alcuni ſuoi componimenti di Poeſia latina

tina, che sono Lyricorum libri sex, & Epodon liber unus, riverentemente supplica la grandezza di V.E à degnarsi di commetterne la revisione, e dalla benignità di V.E.lo riconoscerà à singolare honore, ut Deus,&c.

Reverēdus Pater Thomas Strozzius Soc.Iesu videat,& in scriptis referat.

CARRILL. R. CALA R. SORIA R.
Mastellonus.

EXCELLENTISS. DOM.

Legi ex mandato Excellentiæ Vestrę sex libros Lyricorum, & Epodon Patris Prosperi Cappellæ; nihilque in ijs reperi, quod Regiæ jurisdictioni, vel publico bono officiat.

P. Thomas Strozzius è Soc. Ies.

Imprimatur, verum in publicatione servetur Regia Prag.

CARRILL. R. SORIA R. FLOR. R.
Ill.Dom.Dux Diani non interfuit.
Mastellonus.

Michael de Flore Præpositus Provincialis Soc. Jesu in Regno Neap.

CUm Lyricorum Carminum librum à P. Prospero Cappella Soc. Jesu compositum aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, facultate nobis à Patre nostro Generali Ioanne Paulo Oliva communicata, concedimus, ut typis mandetur, si ijs, ad quos pertinet, ita videbitur. Cujus rei gratia, literas hasce manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Neap. die 30. Mens. Octobris 1681.

Michael de Flore.



Errata Corrige.

Errata			Corrige
Pag. 71.	v. 5.	volox	velox
pag. 145.	v. 15.	abſtiteras	obſtiteras
pag. 159.	v. 8.	metundus	metuendus
pag. 163.	v. 20.	tonuit	tenuit
pag. 191.	v. 5.	galæ	gulæ
pag. 256.	v. 6.	cuſidicum	cauſidicum
pag. 258.	v. 5.	Gitreis	Citreis
pag. 264.	v. 18.	Ætheræ	Æthere

